
ACTA APOSTOLICAE SEDIS

COMMENTARIUM OFFICIALE

Directio: Palazzo Apostolico – Città del Vaticano – *Administratio:* Libreria Editrice Vaticana

ACTA FRANCISCI PP.

LITTERAE DECRETALES

I

Quibus beato Ansgario Arnolfo Romero Galdámez Sanctorum honores decernuntur.

FRANCISCUS EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI

AD PERPETUAM REI MEMORIAM

«Maiorem hac dilectionem nemo habet, ut animam suam quis ponat pro amicis suis» (*Io* 15, 13).

Beatus Ansgarius Arnolfus Romero Galdámez in his Evangelii verbis institit atque testis fuit fidei necnon praestabilium virtutum christianarum vir. In difficilibus suae Nationis condicionibus omnes ad conversionem, ad fraternitatem pacemque compulit. Ingerere conatus est socialem conscientiam christianam, in illis in primis qui a Deo multa bona receperunt. Sic a divitibus et a potestate pollentibus non modo petivit externae pietatis opera, sed ut socialem iustitiam re affirmarent. A pauperibus postulavit ut quamlibet violentae eversionis formam vitarent, eos adhortans ut se componerent ad certos rationalesque modos reperiendos, ut Nationis quaestiones solverentur.

Ipsa die xv mensis Augusti anno MCMXVII in vico v.d. Ciudad Barrios regionis Sancti Michaëlis in Salvatoria natus est. Alter ex octo liberis, XII annos natus scholam reliquit ut operam daret fabri lignarii arti ediscendae.

Anno MCMXXXI postulavit ut in Seminarium minus Sancti Michaëlis admitteretur, quod Congregationis Missionariorum Filiorum Immaculati Cordis B.M.V. sodales moderabantur, atque anno MCMXXXVII Romam missus est ut studiorum curricula absolveret. Ibidem anno MCMXLII ordinationem sacerdotalem recepit. Subsequenti anno in patriam regressus, studiosam operam pastorem gessit: fuit Parochus, variarum catholicarum consociationum moderator, Curiae Cancellarius, Rector Seminarii et Vicarius Generalis, Episcopus Auxiliaris, Episcopus Sancti Iacobi de Maria et Praesul archidioecesis Sancti Salvatoris in America. Bonus Pastor, de pauperum negotiis sollicitus, die XXIV mensis Martii anno MCMLXXX nefarie interemptus est, liturgicae celebrationis tempore, a quodam mortis agmine. Postremis vitae annis eius fama inter Nationes lata exstitit eo quod adversus vim et iniustitiam sua in Natione animose certavit. Ecclesiae Magisterio fidelis, Archiepiscopus Romero, etiam se invito, propter impellentem officii conscientiam Archiepiscopi et Pastoris, munus publicum exsequi est coactus in discrimine in quo eius Natio versabatur. Sanguinis effusiones et sociales iniustitiae, quae pauperiorem populi partem potissimum contingebant, effecerunt ut ipse fieret “vox vocis carentium”, id est defensor inopum humiliumque “sine voce”, qui augescenti vi afficiebantur. Eius pacis mediatoris officium, quod gerebatur non sine claris vehementibusque insimulationibus de sociali iniustitia, unde oriebatur magnum discrimen, eum invisum fecerunt apud violentiae adhibendae auctores. Haec testificatio, quae semper in religiosis pastoralibusque rationibus nitebatur, perduxit beatum ad mortem. Die XXIV mensis Martii anno MCMLXXX, feria videlicet II postremae quadragesimalis hebdomadae, cum ipse Missam celebraret in sacello valetudinarii cancro laborantium, apud quod degebat, cum ad finem homiliam adduxisset, cuius postrema verba fuerunt eucharistica: “Ut hoc corpus immolatum atque hic sanguis pro hominibus effusus nos ipsos alat ut nostrum corpus nostrumque sanguinem tradamus aegritudini dolorique, ut fecit Christus”, ictus est auditus oriens ex sacelli limine. Archiepiscopus Romero ante altare cecidit. Pauca post momenta obiit. Extemplo martyr est habitus. Sollemnes exsequias magna multitudo participavit, flens propter pastorem amissum.

Ob latam sanctitatis martyriique famam anno MCMXCVII Inquisitio dioecisana est peracta, quam die IV mensis Iulii anno MCMXCVII Congregatio de Causis Sanctorum validam putavit. Positio super martyrio comparata, Consultores Theologi suum favens suffragium tulerunt in Congressione peculiari

die VIII mensis Ianuarii anno MMXV. Patres Cardinales et Episcopi, in Sessione Ordinaria die III mensis Februarii anno MMXV coadunati, eius interitum verum martyrium iudicarunt. Nos Ipsi facultatem fecimus ut Congregatio de Causis Sanctorum congruum Decretum evulgaret atque statuimus ut beatificationis ritus in urbe Sancti Salvatoris in America die XXIII mensis Maii anno MMXV celebraretur. Canonizationis causa sanatio mira habita exhibita est, quam Medici Consultores Congregationis de Causis Sanctorum die XXVI mensis Octobris anno MMXVII ad scientiam inexplicabilem iudicarunt. Consultatores Theologi, in Congressione peculiari die XIV mensis Decembris anno MMXVII coadunati, hanc sanationem intercessioni beati Ansgarii Arnolfi Romero Galdámez adscripserunt et sic iudicaverunt Patres Cardinales et Episcopi in Ordinaria Sessione die VI mensis Februarii anno MMXVIII coadunati. Ita Nos Ipsi, eodem die, facultatem fecimus ut Congregatio de Causis Sanctorum congruum Decretum ederet. In Consistorio die XIX mensis Maii eodem anno statuimus ut canonizationis ritus die XIV mensis Octobris anno MMXVIII Romae in foro Petriano ageretur.

Hodie igitur in foro Petriano inter sollemnia hanc pronuntiavimus formulam:

Ad honorem Sanctae et Individuae Trinitatis, ad exaltationem fidei catholicae et vitae christianae incrementum, auctoritate Domini nostri Iesu Christi, beatorum Apostolorum Petri et Pauli ac Nostra, matura deliberatione praehabita et divina ope saepius implorata, ac de plurimorum Fratrum Nostrorum consilio, Beatos Paulum VI, Ansgarium Arnolfum Romero Galdámez, Franciscum Spinelli, Vincentium Romano, Mariam Catharinam Kasper, Nazariam Ignatiam a Sancta Teresia a Iesu March Mesa et Nuntium Sulprizio Sanctos esse decernimus et definimus, ac Sanctorum Catalogo adscribimus, statuentes eos in universa Ecclesia inter Sanctos pia devotione recolere debere. In nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti.

Libentissime sane evehimus ad gloriam Sanctorum hunc intrepidum Pastorem qui, sicut per saecula alii episcopi et presbyteri, minas persecutorum non timentes neque gregem in periculo derelinquentes, divina mysteria ad altare Dei pie celebrantes, suo sanguine effuso fidem attestati sunt. Ideo eius «martyrium testimonium est supremum veritati fidei perhibitum; ipsum denotat testimonium quod usque ad mortem procedit» (*CCE* 2473). Hoc eum similem Christo efficit, qui in Evangelio professus est: «Ego sum Pastor

Bonus: bonus pastor animam suam ponit pro ovibus suis» (*Io* 10, 11); hac ratione forma est aliis pastoribus.

Quae autem his Litteris decrevimus, nunc et in posterum rata et firma esse volumus, contrariis quibuslibet rebus minime obstantibus.

Datum Romae, apud S. Petrum, die quarto decimo mensis Octobris, anno Domini bis millesimo duodevicesimo, Pontificatus Nostri sexto.

EGO FRANCISCUS

Catholicae Ecclesiae Episcopus

Leonardus Sapienza, *Proton. Apost.*



Loco ☒ Plumbi

In Secret. Status tab., n. 470.832

II

Quibus beato Vincentio Romano Sanctorum honores decernuntur.

FRANCISCUS EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI

AD PERPETUAM REI MEMORIAM

«Sacerdotes tui induantur iustitiam, et sancti tui exsultent» (*Ps 132, 9*).

Gaudii populi Dei causa est sanctitatis testificatio beati Vincentii Romano, presbyteri Neapolitani cleri ac Parochi Turris Graeci. Artissime cum Christi mysterio coniunctus, plenissime sacerdotalem dignitatem coluit, populo sanctificando se penitus tradens. Divina liturgia, Dei Verbum et Evangelium caritatis capita fuerunt eius spiritualitatis. Dei gregis pastor constitutus, amanter eos coluit qui sibi sunt commissi. Sollicite suam urbem restituendam, saxis liquefactis vastatam, curavit, ac magis suorum concivium fidem suarum insignium virtutum exemplo roboravit.

Die III mensis Iunii anno MDCCLI Turri Graeci a modica ac religiosa familia natus est. Die X mensis Iunii anno MDCCLXXV sacerdotalem ordinationem recepit. Theologica doctrina sancti Alfonsi Mariae de' Liguori institutus ac spiritalis filius beati Mariani Arciero, studiose in suum ministerium incubuit. Suam vocationem in animas curandas funditus insumpsit, in pueros instituendos, in Seminarii tirones tuendos, in rusticanos maritimosque evangelizandos, in confraternitates et claustra, ut cappellanus, curanda, ad aegris ac morituris subveniendum. Illud solebat dicere: "bene bonum facere", cum singula diei momenta adhiberet ad Dei gloriam et ad proximo inserviendum, ita ut mereretur titulum "operarii indefaticabilis". Anno MDCCXCIV, ob vastitationem conflagentis Vesuvii montis, magna urbis pars saxis liquefactis demersa est atque paroeciale templum quoque Sanctae Crucis vastatum est. Vincentius Romano auctor fuit materialis restitutionis, sed potissimum populi morum spiritusque verae renovationis. Spei apostolus, inter parietinas suos populares hortabatur, ut Dei Providentiae confiderent. Ab anno MDCCXCIX ei commissum est parochi munus, quo ipse se haud dignum putabat, quodque recepit solummodo ut Dei voluntati obsequeretur. Precatio, ieiunium, paenitentia, operositas, longanimitas, bonitas, caritas, zelum, humilitas, quaedam fuerunt eius virtutes, quae eius sacerdotalem vitam

collustrarunt. Beatus bene mane operari incipiebat, multum temporis dicans meditationi. Meditans breve iter faciebat sua a domo ad paroeciale templum, quo repetito, sanctam Missam summa devotione celebrabat. Reconciliationis sacramentum magna caritate ac patientia ministrabat, vivam cum paenitentibus experientiam Dei misericordiae communicabat. Parvo contentus, coram Iesu sub sacramentalibus speciebus abscondito adorans saepe complures horas manebat, magna admiratione commotioneque afficiens fideles. Vesperas exinde, sanctum Rosarium dicebat atque Sanctissimo Sacramento benedictionem impertiebat. Domum regressus, hominum multitudinem recipiebat, qui suas necessitates patefaciebant, quibus paterna sollicitudine subvenire conabatur. Diem ad finem ducebat cum familiaribus etiam precans seque dicans studio ac spiritali lectioni. A modica quiete saepenumero abstrahebatur, cum subvenire deberet cuidam morituro. Beatus omnimodis effecit ut fideles penitus vitam liturgicam Ecclesiae participarent, protissimum sacrificium eucharisticum. Pluries ipse visus est illacrimare consecrationis tempore et communionem suscipere in vultu amore inflammatus. Missa ei fons erat gratiae, origo et finis eius existentiae. Hac de causa festis diebus singularem mystagogiae formam finxit, id est “missam practicam”, in qua planis at inspiratis verbis ex suggestu spiritalem sensum variorum rituum orationumque liturgicarum explicabat, quae ex altari celebrans dicebat. Eius praedicatio Sacra Scriptura alebatur eaque corda contingebat auditorum, veras conversiones efficiebat. Post eius mortem concives continenter iterabant: “Os illud paradisi haud amplius audiemus”. Ut vero ad longinquoires perveniret, peculiarem praedicationis formam invenit, proximam quidem et involventem, quam populari loquela “la sciabica” vocabat, quo verbo magnum rete significabatur, illius loci a piscatoribus adhibitum. Una cum his beatus Vincentius Romano piscabatur, at non pisces neque corallium, sed animas. Manibus elevans Crucifixum, homines apud compita conglobabat atque postquam Dei bonitatem et peccatorum paenitentiam praedicaverat, populum in templum ducebat ad peccata confitenda et benedictionem recipiendam. Beatus verus fuit apostolus socialis caritatis et actionis pastoralis operis antecessor. Pacator fuit socialium oeconomicorum negotiorum quae inter navicularios et corallii piscatores agitabantur, curans ut aequa contingerentur in utramque partem. Voluit ut cappellanus naves corallii comitaretur mensibus illis quibus corallii piscatores in mari manebant; necessitatibus subvenit familiarum domi manentium; operam dedit ut nautae redimerentur, qui praedonum maritimorum secundum Africae septentrionalis oram in

dicionem pervenerunt. Unaquaeque alia doloris ac paupertatis species eius fidelium eius in corde miserationem gignebat eumque ad caritatis opera impellebat. A Christo cognito et Virgine Immaculata venerata vim hauriebat ut se liberaliter traderet. Mense Maio anno MDCCCXXV, cum caderet et femur fregeret, aerumnas pati incohavit. Quinque annos in lecto iacuit, usque ad diem XX mensis Decembris anno MDCCCXXXI, donec diuturnos post dolores, ad animas salvandas dicatos, obiit, Iesu et Mariae nomen habens in labiis.

Ob latam sanctitatis famam, quam vivens habuit, tribus annis post eius mortem, Processus Ordinarius informativus apud curiam ecclesiasticam Neapolitanam ab anno MDCCCXXXIV ad annum MDCCCXLII absolutus est. Die XXII mensis Septembris anno MDCCCXLIII Decessor Noster Gregorius XVI Decretum subsignavit Causae incohandae. Processus Apostolici sunt subsequuti de sanctitatis fama "in genere", annis MDCCCXLVI-MDCCCL, sanctitatis "in specie", annis MDCCCLIII-MDCCCLVIII, et super scriptis, annis MDCCCLXII-MDCCCLXIII. Tandem die XXV mensis Martii anno MDCCCXCV Leo XIII declaravit parochum Vincentium Romano heroum in modum virtutes exercuisse. Die V mensis Octobris anno MCMLXIII Paulus VI duo miracula, a Deo eius intercessione patrata, agnovit. In sollemnitate Papalis Basilicae Sancti Petri, adstantibus Conciliaribus Patribus, idem Pontifex beatificationis ritum die XVII mensis Novembris anno MCMLXIII celebravit. Canonizationis causa Postulatio sanationem miram habitam exhibuit, quae anno MCMLXXXIX evenit. Eo de eventu Inquisitio dioecesana apud Curiam Neapolitanam a die VIII mensis Aprilis ad diem VIII mensis Octobris anno MMXV facta est. Absoluto ad normam itinere canonico, die VI mensis Iulii anno MMXVII suffragantibus et faventibus Medicis Consultoribus et die XXVI mensis Octobris anno MMXVII idem sentientibus Consultoribus Theologis, in Sessione Ordinaria die VI mensis Februarii anno MMXVIII coadunati Patres Cardinales et Episcopi hanc sanationem verum miraculum iudicarunt. Sic Nos Ipsi die VI subsequentis mensis Martii facultatem fecimus ut Congregatio de Causis Sanctorum congruum Decretum evulgaret atque tandem in Consistorio die XIX mensis Maii eodem anno statuimus ut canonizationis ritus beati Vincentii Romano die XIV mensis Octobris anno MMXVIII, dominica XXVIII Temporis Ordinarii, in foro Petriano ageretur.

Hodie igitur in foro Petriano inter sollemnia hanc pronuntiavimus formulam:

Ad honorem Sanctae et Individuae Trinitatis, ad exaltationem fidei catholicae et vitae christianae incrementum, auctoritate Domini nostri Iesu

Christi, beatorum Apostolorum Petri et Pauli ac Nostra, matura deliberatione praehabita et divina ope saepius implorata, ac de plurimorum Fratrum Nostrorum consilio, Beatos Paulum VI, Ansgarium Arnolfum Romero Galdámez, Franciscum Spinelli, Vincentium Romano, Mariam Catharinam Kasper, Nazariam Ignatiam a Sancta Teresia a Iesu March Mesa et Nuntium Sulprizio Sanctos esse decernimus et definimus, ac Sanctorum Catalogo adscribimus, statuentes eos in universa Ecclesia inter Sanctos pia devotione recoli debere. In nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti.

Ipsi Nos deinde novos Sanctos venerati sumus eosque fidelibus proposuimus imitandos. Inter quos magna admiratione ac dilectione intuemur sanctum Vincentium Romano, qui cotidiana Eucharistica et Mariali ferventi devotione animum suum aluit populoque eximium fidei exemplum praebuit. Inde sustentatus, cunctis indigentibus semper paterno amore subveniebat eosque affabiliter ad reconciliationem conducebat cum Deo et proximo, docebat virtutes exercere et vim ex oratione haurire. Ipse nobis nunc in caelo a Domino etiam nostra aetate tales efflagitet plurimos habere pastores.

Quae autem his Litteris decrevimus, nunc et in posterum rata et firma esse volumus, contrariis quibuslibet rebus minime obstantibus.

Datum Romae apud S. Petrum, die quarto decimo mensis Octobris, anno Domini bis millesimo duodevicesimo, Pontificatus Nostri sexto.

EGO FRANCISCUS

Catholicae Ecclesiae Episcopus

Franciscus Piva, *Proton. Apost.*



Loco ☒ Plumbi

In Secret. Status tab., n. 469.932

III

De peracta Canonizatione aequipollente Bartholomaei a Martyribus.

FRANCISCUS EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI

AD PERPETUAM REI MEMORIAM

«Et dabo vobis pastores iuxta cor meum, et pascent vos scientia et doctrina» (*Ier* 3, 15).

Quae promittit Deus ea servat, suae Ecclesiae mittens sanctos pastores, qui fideliter amanterque Divini Pastoris semitas calcant. Laeti gaudii pro Dei populo causa est sanctitatis beati Bartholomaei a Martyribus testificatio, qui per suam eximiam theologicam doctrinam, ardentem zelum pastorem et certam vitae sanctitatem operam dedit Ecclesiae post Tridentinum Concilium reformandae.

Spiritualis humilis pauperque filius sancti Dominici, lector fuit assiduus Sacrae Scripturae, clarus doctor, plane proximis doctrinis instructus ac paratus verbo ac vitae testimonio ad ea tradenda quae studiis precationeque didicerat.

Dei vir Olisipone die III mensis Maii anno MDXIV Dominico Fernandez et Maria Carrea parentibus natus est. Novum cognomen "a Martyribus" sibi sumpsit in memoriam paroecialis templi Sanctae Mariae Martyrum, ubi Baptismum recepit et quo ab avo cotidie precandi causa puer deferebatur. Die XI mensis Novembris anno MDXXVIII Ordinem Fratrum Praedicatorum est ingressus, in claustrum "Sancti Dominici" Lisbonensis atque institutionis curriculum incohavit. Anno post, quindecim annos natus, vota nuncupavit. Absolutis studiorum curriculis, sacerdotali ordine auctus, a superioribus philosophiam ac theologiam docendi munus in claustrali Studio Batalhensi in Lusitania ei commissum est. Acumen ac theologica scientia Bartholomaei effecerunt ut mox Magister Sacrae Theologiae designaretur, quod in Capitulo Generali, Salmanticae anno MDLI habitum, factum est. Celebratus iam theologus, anno MDLII est arcessitus in Cratense claustrum ut praeceptor esset principis Domini Antonii, prioris, regni futuri affectatoris. Hic nova spiritalia indicia noverat, a sancto Ioanne de Avila inducta. Olisipone anno MDLV repetita, prior electus est communitatis Benficiae et a Catharina

Habsburgensi regina designatus est Archiepiscopus Bracarensis, quae tunc Primatis sedes erat Hispaniarum. Ob humilitatem recusare nixus est talem nominationem, sed obsequens Superiori Provinciali, Aloisio de Granada, munus sumpsit atque die III mensis Septembris anno MDLIX episcopalem ordinationem recepit, minime tamen austere vivendi rationem mutans, ac sic magnam spiritus libertatem et mundi vanitatum repudiationem testificans. Suum per episcopale ministerium magnam sollicitudinem ac pastoralem caritatem de animarum salute necnon prudentiam moderandi ostendit.

Apostolicum suum opus in humilioris ordinis homines benigne convertit, potissimum in indigentiores ac corpore spirituque pauperiores, in quibus vultum ipsius Christi dixit se agnoscere. Gregem suum cognoscere voluit, tribuitque pondus pastoralis visitationis instrumento, quae totius pastoralis actionis ab eo anima habita est. Sic suis oculis extremum spiritale sui temporis discrimen cernere potuit ac item necessitatem efficacis Ecclesiae reformationis, quae ad Episcopos accurate seligendos et clerum instituendum spectaret. Qua de causa scholas condidit ad qualitates intellectus ac spiritus augendas suorum sacerdotum. Mense Maio anno MDLXI Tridentum a Lusitano rege Sebastiano I missus est ad tertiam partem Concilii participandam. Statim suis virtutibus praestitit, ampla eruditione, eximia facultate varia argumenta collustrandi, a Concilio excussa, necnon assiduo studio reformationis Ecclesiae provehendae. Eius postulata, quae attinebant ad obligatam commorationem Episcoporum ac necessitatem in dioecesibus Seminaria constituendi sacerdotum instituendorum causa, sunt recepta. Concilio ad finem adducto, Romam petiit, Pium IV Papam conventurus, a quo magni aestimabatur. Sanctum quoque Carolum Borromeo novit, apud quem magno in honore fuit. Ex illo occurso opus, cui titulus “Stimulus Pastorum”, est compositum, quod unum ex eius maximis scriptis habetur, in quo specimen animarum pastoris describitur. Braca repetita, operam dedit ut Concilii reformationes ad effectum adducerentur, multorum aversione devicta. Numquam dioecesana loca invisere destitit, magna cura in pauperes conversa. Aeger iam et fessus, Gregorium XIII Papam rogavit ut suas dimissiones acciperet et sic postremos octo vitae annos in claustrum loci Viana do Castelo exegit, humilis, pauper et Dominicanae regulae obnoxius, praedicationi et catechesi se dicans, pauperibus humilibusque subveniens et precans assidue. Sanctitatis fama celebratus, die XVI mensis Iulii anno MDXC obiit.

Eius memoria etiam nunc viva est et in Ecclesia benefica. *Ut theologus est in memoria habitus.* Magna eius scriptorum pars est amissa. Sed VI volumina commentariorum in theologiam sancti Thomae etiam nostris temporibus evulgantur. Quaedam eius scripta pluris inter opera saeculi XVI sunt aestimata, quae sunt titulis operum additis *Compendium spiritualis doctrinae, Stimulus Pastorum, Commentarium in Psalmos, Catechismus Homileticus*, quaeque liquido omnibusque patenti sermone sunt conscripta. *Sicut contemplativus memoratur.* Ipse inde a puero perhibetur Deum requisivisse, Evangelio oboedisse atque precationem studio sociasse, cum perseveraret in *orandi studendique* actione. Necessitudinem constituit cum praeclaris sui temporis spiritalibus moderatoribus.

Multum operae posuit in Sanctis Patribus legendis et meditandis necnon spiritalitatis mediaevalibus ac recentioribus scriptis. Homo habitus est Absoluti sitiens, qui numquam mediocritatem admisit. *Sicut pastor memoratur*, qui in ecclesiali suo servitio Bibliis ac scriptis Sanctorum Ecclesiae Pastorum duci sivit. Suo populo proximus fuit et cultum ac sanctitatem potissimum presbyterorum provexit.

Post sedulas eius vitae ac sanctitatis vestigationes, Decessor Noster Gregorius XVI anno MDCCCXLV Decretum de virtutibus heroum in modum exercitis edidit. Die VII mensis Iulii anno MMI sanctus Ioannes Paulus II, postquam Decretum de miraculo, intercessioni illustris Episcopi Bracarenensis adscripto, editum est, eum die IV mensis Novembris anno MMI in Beatorum album rettulit.

Nuper continuata sanctitatis fama ac signa Venerabilem Fratrem Georgium Ferrerira da Costa Ortiga, Archiepiscopum Bracarensem, et Episcopos Lusitanos impulerunt ut a Nobis huius insignis Pastoris canonizationem peterent. Patres Cardinales et Episcopi Congregationis de Causis Sanctorum suum favens suffragium tulerunt in Sessione Ordinaria die II mensis Iulii anno MMXIX. Itaque Nos Ipsi, consequenti die V mensis Iulii, studiose huius Causae omnibus partibus consideratis, divina ope saepius implorata, ad Dei gloriam, exaltationem fidei catholicae et vitae christianae incrementum, statuimus ut Bartholomaeus a Martyribus, Ordinis Fratrum Praedicatorum, quondam Archiepiscopus Bracarensis, sit sanctus et talis in catalogum Sanctorum referatur necnon pie honoretur et invocetur inter universalis Ecclesiae Sanctos.

Decet prorsus insignem hunc caelitem magnificare, qui eximias dedit religiosae pietatis operositatisque testificationes, quique totam suam vitam Deo omnino addixit atque pro Christi Ecclesiaeque amore suam Dei plebi industriam dicavit. Ad Tridentinum Concilium insuper cum esset missus ampla doctrina praestitit ac de theologicis argumentis copiosa disceptatione, quae multum conferre possent ad Ecclesiae renovationem. Exoptamus igitur ut salutifera eius exempla magno sint hominibus qui nunc sunt emolumento, quo ipsi spiritalis fructus uberius consequantur.

Volumus tandem ut haec Nostra deliberatio irrevocabilis sit, atque exoptamus item ut laetanter et gratanter a Dei populo, potissimum a Pastoribus et a fidelibus dilectae Ecclesiae quae est in Lusitania, recipiatur, qui, sanctitatis huius Pastoris exemplum contemplantes, Dei laudes per suorum operum splendorem decantare possint.

Datum Romae, apud S. Petrum, die quinto mensis Iulii, anno Domini bis millesimo undevicesimo, Pontificatus Nostri septimo.

EGO FRANCISCUS

Catholicae Ecclesiae Episcopus

Franciscus Piva, *Proton. Apost.*



Loco ☉ Plumbi

In Secret. Status tab., n. 469.120

CONSTITUTIONES APOSTOLICAE**I****CRISTALANDIENSIS**

In Brasilia Praelatura territorialis Cristalandiensis in dioecesim eodem nomine extollitur, mutatis finibus eiusdem ac dioecesis Miracemanae Tocantinensis, atque primus Episcopus nominatur.

FRANCISCUS EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI

AD PERPETUAM REI MEMORIAM

Christi civitatem Patri sancto decet gratias agere pro sancto eiusdem nomine, cui sedem constituit in cordibus fidelium, atque pro scientia et fide et immortalitate, quam manifestavit nobis per Iesum puerum suum (cfr *Doctrina XII Apostolorum*, X, 2), et ex summa Nostra pastoralis sollicitudine foveri, ut ad caritatis perfectionem homines perducatur et ad christianae Redemptionis fructus omnibus impertiendos et quoquoersus propagandos conferre valeat. Quibus perpensis, in his apostolici Nostri laboris partes libenter interponentes, per quae dioecesium regimini opportune consulatur, mentem Nostram convertimus ad petitionem Venerabilis Fratris Wellington de Queiroz Vieira, Episcopi Praelati Cristalandiensis, qui, audita Conferentia Nationali Episcoporum Brasiliae, ab Apostolica Sede suppliciter postulavit, ut, quibusdam immutatis finibus ad praelaturam eidem concreditam et ad sedem Miracemanam Tocantinensem pertinentibus, memorata praelatura ad gradum et dignitatem dioecesis eveheretur.

Nosmet Ipsi, prospero Venerabilis Fratris Ioannis d'Aniello, Archiepiscopi titulo Paestani et Apostolici Nuntii in Brasilia, praehabito voto, de consilio Congregationis pro Episcopis, preces ad Nos admotas animarum saluti valde profuturas censuimus libentesque excipiendas decrevimus. Proinde, Apostolicae Nostrae potestatis plenitudine, praelaturam territorialem Cristalandiensem ad gradum et dignitatem dioecesis extollimus, eodem usurpato nomine, eiusdemque Episcopum Praelatum Venerabilem Fratrem

Wellington de Queiroz Vieira huius nuper evectae dioecesis Episcopum ac Pastorem nominamus, omnibus cum iuribus atque oneribus, quibus omnes Ordinarii locorum gaudent vel adstringuntur.

Quod superest, disponimus atque statuimus, ut, immutatis quibusdam finibus inter supra dictas dioeceses, posthac ad dioecesim Miracemanam Tocantinensem integrum pertineat territorium civilium municipiorum finibus in praesens circumscriptum vulgo nuncupatorum *Abreulândia, Araguacema, Barra do Ouro, Barrolândia, Bernardo Sayão, Bom Jesus do Tocantins, Brasilândia, Campos Lindos, Centenário, Colmeia, Colinas do Tocantins, Couto Magalhães, Dois Irmãos, Fortaleza do Tabocão, Goianorte, Goiatins, Guaraí, Itacajá, Itapiratins, Itaporã, Juarina, Miracema do Tocantins, Miranorte, Pedro Afonso, Pequizero, Presidente Kennedy, Recursolândia, Rio dos Bois, Santa Maria do Tocantins, Tupirama et Tupiratins*, quae omnia sub ditione sunt Tocantini; ad dioecesim autem Cristalandiensem integrum territorium civilium municipiorum finibus in praesens circumscriptum vulgo *Araguaçu, Caseara, Chapada de Areia, Cristalândia, Divinópolis, Dorilândia, Dueré, Formoso do Araguaia, Lagoa da Confusão, Marianópolis, Monte Santo do Tocantins, Nova Roslândia, Paraíso do Tocantins, Pium, Pugmil et Sandolândia nuncupatorum, sub ditione Tocantini, necnon municipiorum vulgo Bonópolis, Mutunópolis, Novo Planalto, Porangatu et São Miguel do Araguaia*, sub ditione Goiani.

Huius novae dioecesis sedem in urbe Cristalandia decernimus templumque adhuc praelaticium ibi exstans, Deo in honorem Beatae Mariae Virginis a Perpetuo Succursu dicatum, ad gradum et dignitatem ecclesiae cathedralis evehimus, mandantes ut ibidem Capitulum Canonicorum ad normam iuris erigatur. Novam insuper dioecesim Cristalandiensem Metropolitanæ Ecclesiae Palmensis suffraganeam constituimus eiusque Episcopum metropolitico iuri Archiepiscopi pro tempore eiusdem Metropolitanæ Ecclesiae subicimus.

Cetera vero ad dignam Praesulis sustentationem, ad Seminarium dioecesani erectionem necnon candidatorum ad sacerdotium institutionem, ad constitutionem Consilii Presbyteralis, Collegii Consultorum et Consilii a Rebus Oeconomicis, ad bonorum administrationem et Administratoris dioecesani sede vacante electionem pertinentia, secundum normas Codicis Iuris Canonici aliaque ecclesiasticarum legum praescripta temperentur.

Simul ac Cristalandiensis dioecesis erectio et supra dictae immutationes finium ad effectum deductae fuerint, eo ipso censeantur sacerdotes dioe-

si illi adscripti, in cuius territorio ecclesiasticum officium detinent; ceteri vero sacerdotes Seminarii que tirones dioecesi illi incardinati maneant vel incardinentur, in cuius territorio legitimum habent domicilium.

Ad haec omnia perficienda praefatum Nuntium Apostolicum deputamus vel, eo a sede absente, negotiorum Sanctae Sedis in Brasilia pro eo gerentem, necessarias et opportunas iisdem tribuentes facultates etiam subdelegandi, ad effectum de quo agitur, quemlibet virum in ecclesiastica dignitate constitutum, onere imposito ad Congregationem pro Episcopis, cum primum fas erit, authenticum exemplar actus peractae executionis remittendi.

Deum quippe quaesumus, ut, populus fidelis huius dioecesis de die in diem ad caritatis fidei transferat actionem et, suscepta misericordia, a Christi numquam cesset laude.

Hanc, denique, Constitutionem Nostram iugiter ratam esse volumus, contrariis quibuslibet rebus non obstantibus.

Datum Romae, apud S. Petrum, die decimo mensis Iulii, anno Domini bis millesimo undevicesimo, Pontificatus Nostri septimo.

PETRUS card. PAROLIN
Secretarius Status

MARCUS card. OUELLET
*Praefectus Congregationis
pro Episcopis*

Franciscus Piva, *Proton. Apost.*
Villelmus Millea, *Proton. Apost.*

Loco ☉ Plumbi

In Secret. Status tab., n. 459.929

II

FLORENTIAE

In Columbia nova Provincia Ecclesiastica Florentiae appellanda conditur eademque Sedes ad dignitatem Ecclesiae Metropolitanae elevatur.

FRANCISCUS EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI

AD PERPETUAM REI MEMORIAM

Laborantes licet multi in aedificando, sed loquentes foris, Dominus Iesus Christus aedificat domum suam intus, intellectum nostrum aperiens et ad fidem applicans sensum, dum tamen laboramus tamquam operarii (cfr s. Augustinus, *Enarrationes in Psalmos*, Ps. 126, 2). Et Nos igitur qui in oeconomia salutis hoc agnoscimus officium Nostrae cooperationis, dominici gregis utilitati et profectui consulentes, omnia disponere contendimus, per quae animarum salus ac spirituales fidelium fructus praestentur.

Proinde, catholicae Ecclesiae in Columbia Nobis cordi habentes utilitatem, suadente Congregatione pro Episcopis, prosperis praehabitis sententiis Conferentiae Episcoporum Columbiae et Venerabilis Fratris Aloisii Mariani Montemayor, Archiepiscopi titulo Illicitani et in Columbia Nuntii Apostolici, reque mature perpensa, apostolicae Nostrae potestatis plenitudine, Provinciam Ecclesiasticam Florentiae nuncupandam erigimus atque Sedem episcopalem Florentiae ad gradum et dignitatem Ecclesiae metropolitanae extollimus. Novam hanc Provinciam Ecclesiasticam constituent una cum metropolitana Ecclesia Florentiae suffraganeae dioeceses Mocoënsis-Sibundoyensis et Sancti Vincentii de Caguan, quae haecenus ad Provincias Ecclesiasticas Ibaguensem et Popayanensem pertinebant. Florentiae pro tempore Sacrorum Antistitem, Venerabilem Fratrem Omar a Iesu Mejía Giraldo, ad officium Metropolitanæ novae Provinciae Ecclesiasticae promovemus omnibus cum iuribus, facultatibus et obligationibus, quae huic muneri ad normam iuris competunt.

Ad quae omnia, uti supra disposita et constituta, executioni mandanda Venerabilem deputamus iam dictum Fratrem Aloisium Marianum Montema-

yor, eidem tribuentes necessarias et oportunas facultates etiam subdelegandi ad effectum, de quo agitur, quemlibet virum in ecclesiastica dignitate constitutum, imposito onere genuinum mittendi cum primum fas erit ad Congregationem pro Episcopis peractae executionis exemplar.

Deum quaesumus, ut, qui immensis nos replet muneribus suae caritatis, concedat clero et populo huius Provinciae Ecclesiasticae, ut salutaria dona capiant et ipsius semper suscipiant misericordiam.

Hanc denique Constitutionem Nostram iugiter ratam esse volumus, contrariis quibuslibet rebus non obstantibus.

Datum Romae, apud S. Petrum, die decimo tertio mensis Iulii, anno Domini bis millesimo undevicesimo, Pontificatus Nostri septimo.

PETRUS card. PAROLIN
Secretarius Status

MARCUS card. OUELLET
*Praefectus Congregationis
pro Episcopis*

Franciscus Piva, *Proton. Apost.*
Villemus Millea, *Proton. Apost.*

Loco ☩ Plumbi

In Secret. Status tab., n. 461.673

LITTERAE APOSTOLICAE**I**

Venerabili Servo Dei Francisco de Paula Victor, presbytero, Beatorum honores decernuntur.

FRANCISCUS PP.

Ad perpetuam rei memoriam. — «Et ego, cum venissem ad vos, fratres, veni non per sublimitatem sermonis aut sapientiae annuntians vobis mysterium Dei. Non enim iudicavi scire me aliquid inter vos nisi Iesum Christum et hunc crucifixum» (*I Cor 2, 1-2*).

Evangelii annuntiatio Apostoli Gentium denotabat etiam ministerium Venerabilis Servi Dei Francisci de Paula Victor, primi sacerdotis Afro-Americani in solo Brasiliensi, qui caritate pastorali refulsit, quam in humilitate et paupertate exercuit.

Ipse natus est anno MDCCCXXVII in loco vulgo dicto Vila da Campanha da Princesa, Brasiliensis status Minas Gerais. Filius servae nigrae, Laurentiae Justiniana de Jesus, in baptismate matrinam habuit eiusdem dominam Mariannam de Santa Barbara Ferreira. Sartoris artem didicit, sed sacerdos fieri cupiebat. Attamen illo tempore ob servitutis leges servis, praesertim servis nigris, non modo prohibebatur accedere ad cuiusvis generis publicum officium, tam civile quam ecclesiasticum, sed etiam studiis incumbere. Francisci vero aspiratio felicem habuit opportunitatem in matrinae dominaeque auxilio atque in firmo consilio Venerabilis Fratris Antonii Ferreira Viçoso, Episcopi Marianensis, qui abolitionem huiusmodi legis pertinaciter postulavit. Itaque Franciscus, ad studia incipienda primum praeparatus a seniore parcho Campaniensi Reverendo Domino Antonio Philippo de Araujo, deinde ad Seminarium Marianense est admissus. Ibi patienter ferebat hostiles ac discriminantes habitus aliorum seminarii tironum, ita ut eorum fieret famulus. Sua humilitate firmoque consilio demum omnes illos sibi conciliavit. Superatis dispensatione canonicis impedimentis, die XIV mensis Iunii anno MDCCCLI presbyter ordinatus est. Attamen magna pars alborum

hominum noluit ut vir niger, olim servus, presbyter esset pro eis, atque Communionem etiam ab eo datam recusabant. Ita cum die XVIII mensis Iunii insequentis anni missus esset ad locum Três Pontas uti parochi vicarius, in plebe magna fuit perturbatio et recusatio. Humilitas et patientia, immenso amore in Iesum Christum vehementer sustinente, effecerunt ut Venerabilis Servus Dei non solum acciperetur, sed paroeciae fideles etiam eum venerarentur. Curae pastorali et animarum directioni addidit aedificationem Collegii Sacrae Familiae, ubi etiam docuit, in quo alumni pauperes divitesque, albi et nigri, ediscere possent, persuasus culturam, una cum fide, novam iustioemque societatem constituere posse. Sensus artis et culturae promotio ad indolem pertinebant Venerabilis Servi Dei, qui aliud etiam perfecit magnum inceptum, ecclesiam videlicet Nostrae Dominae de Auxilio. Caritate, fide ac spe praecipue eminebat necnon magna paupertate. Exemplum praebuit non solum fidelibus, sed potissimum sacerdotibus qui eum iam viventem sanctum arbitrabantur. Dei amor, qui in proximi amore manifestabatur, in medio exstabat vitae Venerabilis Servi Dei, sacerdotium suum in ministerium Dei animarumque explicantis. Testimonium vitae cotidianaе constanter evangelicae magnam excitavit admirationem ipseque hactenus appellatur "sanctus rerum impossibilium". In loco Três Pontas quinquaginta annos parochus fuit atque die XXIII mensis Septembris anno MCMV pie exspiravit. Notitia de obitu eius velociter diffusa est et milia fidelium plurimique clerici advenerunt veneratum sacerdotem postremo salutaturi, cuius corpus inde tumulatum est in ecclesia paroeciali, ubi usque requiescit et plurimos peregrinos advenientes videt.

Ob continuatam et crescentem famam sanctitatis beatificationis Causa incohata est. Apud episcopalem Curiam Campaniensem in Brasilia Inquisitio dioecesana instituta est a die XXX mensis Maii anni MCMXCIV usque ad diem XXXI mensis Maii anni MCMXCV, ac demum anno MCMXCVIII opportunum visum est inducere instructoriam suppletivam inquisitionem. Quarum validitatem iuridicam Congregatio de Causis Sanctorum agnovit per Decretum die XVIII mensis Decembris eodem anno datum. Parata positione, primum Consultores Historici ac deinde Consultores Theologi votum dederunt favorabile de heroicis virtutibus a Venerabili Servo Dei exercitis. Itemque iudicarunt Patres Cardinales et Episcopi, in Sessione Ordinaria coadunati die XVII mensis Ianuarii anno MMXII. Summus Pontifex Benedictus XVI facultatem

tribuit Congregationi de Causis Sanctorum ut decretum super virtutibus promulgaret die x mensis Maii anno MMXII. Beatificationis gratia, proposita est quaedam mira habita conceptio et graviditas. Quas Consultores Medici Dicasterii in Sessione die xx mensis Novembris anno MMXIV inexplicabiles secundum hodiernam scientiam iudicarunt. Congressus verum Peculiaris Consultorum Theologorum die xix mensis Februarii anno MMXV eventum Venerabilis Servi Dei intercessionem tribuit. Sic censuerunt etiam Patres Cardinales et Episcopi die II mensis Iunii eiusdem anni in Sessione Ordinaria congregati. Exinde Nos Ipsi facultatem fecimus Congregationi de Causis Sanctorum ut Decretum super miro ederet die v mensis Iunii anno MMXV. Statuimus ergo ut beatificationis ritus in oppido Três Pontas in Brasilia die xiv mensis Novembris eodem anno ageretur.

Hodie igitur in loco Três Pontas de mandato Nostro Venerabilis Frater Noster Angelus S.R.E. Cardinalis Amato, S.D.B., Praefectus Congregationis de Causis Sanctorum, textum Litterarum Apostolicarum legit, quibus Nos Venerabilem Servum Dei Franciscum de Paula Victor in Beatorum numerum adscribimus:

Nos, vota Fratris Nostri Adamantini Prata de Carvalho, O.F.M., Episcopi Campaniensis in Brasilia, necnon plurimorum aliorum Fratrum in Episcopatu multorumque christifidelium explentes, de Congregationis de Causis Sanctorum consulto, auctoritate Nostra Apostolica facultatem facimus ut Venerabilis Servus Dei Franciscus de Paula Victor, presbyter dioecesanus, pastor secundum cor Iesu, humilis Evangelii praeco atque iuvenum assiduus educator, Beati nomine in posterum appelletur, eiusque festum die tertia et vicesima mensis Septembris, qua in caelum ortus est, in locis et modis iure statutis quotannis celebrari possit. In nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti.

Presbyter hic vere evangelicam secutus est doctrinam in vita sua pastoralique ministerio, minime patiens se vinci a malo, sed constanter vincens in bono malum, re vera consilium Apostoli semper memoria tenens: «Nulli malum pro malo reddentes; providentes bona coram omnibus hominibus; si fieri potest, quod ex vobis est, cum omnibus hominibus pacem habentes» (*Rom 12, 17-18*). Pauper opibus, dives caritate, fide, spe, humilitate aliisque virtutibus, indesinenter et magnanime adiuvabat omnes indigentes, praebens excellens exemplum christianae et sacerdotalis consuetudinis.

Quod autem decrevimus, volumus et nunc et in posterum tempus vim habere, contrariis rebus quibuslibet non obsistentibus.

Datum Romae, apud Sanctum Petrum, sub anulo Piscatoris, die XIV mensis Novembris, anno MMXV, Pontificatus Nostri tertio.

De mandato Summi Pontificis

PETRUS Card. PAROLIN

Secretarius Status

Loco  Plumbi

In Secret. Status tab., n. 69.686

II

Venerabilibus Servis Dei Michaëli Tomaszek et Sbigneo Strzałkowski, presbyteris ex Ordine Fratrum Minorum Conventualium, et Alexandro Dordi, presbytero e dioecesi Bergomensi, martyribus, Beatorum honores decernuntur.

FRANCISCUS PP.

Ad perpetuam rei memoriam. — «Dico autem vobis amicis meis: Ne terreamini ab his, qui occidunt corpus, et post haec non habent amplius quod faciant» (*Lc* 12, 4).

Ratio quotidianae vitae facta sunt haec Iesu verba Venerabilibus Servis Dei Michaëli Tomaszek et Sbigneo Strzałkowski, presbyteris ex Ordine Fratrum Minorum Conventualium, et Alexandro Dordi, presbytero e dioecesi Bergomensi. Qui, animarum caritate permoti, vitam suam obtulerunt pro Evangelio in Peruviana terra diffundendo. Ipsi Christi fideles amici sunt.

1. Pater SBIGNEUS STRZALKOWSKI, natus Tarnoviae in Polonia die III mensis Iulii anno MCMLVIII, Cracoviae apud Provinciam S. Antonii de Padova Ordinis Fratrum Minorum Conventualium susceptus, religiosa vota emisit et sueta studiorum curricula perfecit. Die VII mensis Iunii anno MCMLXXXVI sacerdos est ordinatus. Vices egit rectoris Seminarii minoris Legnicensis, ubi propositum maturavit prompte missionem in Peruvia petendi, quam Provinciae regimen aperiendam decrevit. Ostendentibus difficultates et politicarum rerum haud stabiles condiciones in Peruviana natione, ipse respondebat: «Cum in missionem itur, oportet ad omnia paratum esse». Die XXVIII mensis Novembris anno MCMLXXXVIII Limam petivit ac statim in Cimbotiensi dioecesi sacerdotes in cura animarum variis in locis adiuvit, horum locorum sermonem, usus traditionesque ediscens.

2. Pater MICHAËL TOMASZEK, ortus est in loco vulgo dicto Łękawica in Polonia die XXIII mensis Septembris anno MCMLX. Quindecim annos natus, ingressus est Seminarium minus Legnicense Provinciae S. Antonii de Padova Ordinis Fratrum Minorum Conventualium in Polonia. Emissa professione religiosa et suetis expletis studiorum theologiae curricula, die XXIII mensis Maii anno MCMLXXXVII sacerdos est ordinatus. Duos per annos ministerium sacerdotale exercuit in paroecia loci Pieńsk in archidioecesi Vratislaviensi. Mense

Augusto anni MCMLXXXIX pater Michaël duobus cum sodalibus se coniunxit, qui priore anno coeperant missionem in dioecesi Cimbotiensi, in paroecia loci Pariacoto, ubi duos per annos sedulo pastoralis curae se dicavit.

Missionalis actuositas constans studium iuvenum sacerdotum postulabat, praecipue ob territorii vastitatem et itineris incommoda: LXIII vici paroeciae disseminati erant per montes amplissima in regione et quasdam verum villas tantum equo vecti adire poterant. Praeter operam evangelizationis missionarii multarum familiarum opitulationi sociali quoque incumbabant, adiuti dioecesana et pontificia opera *Caritas* appellata. Huiusmodi navitatem, magni habitam a populo, adversare coepit «Semita Luminosa», sodalitas terroris quae communistarum ideologiae favebat, in Peruvia ab anno circiter MCMLXXX grassans.

Vespere diei IX mensis Augusti anno MCMXCI patres Sbigneus et Michaël vix celebrationem Eucharistiae compleverant in paroeciali ecclesia, cum manipulus latronum illuc irrupit et, ligatis manibus missionariorum, in autocarrum paroeciae eos imposuit, in quod firmiter ascendere voluit etiam quaedam religiosa catechesi dedita, quae ita testis facta est interrogationis duorum sacerdotum de fidelitate erga Christum et Ecclesiam accusatorum. Quaestione expleta, religiosa de vehiculo vi expulsa est atque tromocratae profecti sunt secum ducentes apprehensos. Cum pervenissent ad parvam villam Pueblo Viejo, quae aberat circiter duo milia metrorum a loco Pariacoto, latrones utrumque, videlicet patrem Michaëlem et Sbigneum, percutientes ictu cominus in caput, manuballista occiderunt. In pectore patris Sbignei ipsi reliquerunt chartulam cum inscriptione: «Sic moriuntur servi imperialismi». Extemplo clarum fuit, etiam propter testificationem sororis quae astiterat ad interrogationem missionariorum, odium seditiosorum Marxistorum in Ecclesiam catholicam eorumque oppositio contra operam evangelizationis humanaeque promotionis a duobus iuvenibus sacerdotibus completam. Exsequiae in loco Pariacoto celebratae – nam populus eorum exsuvias sepeliri voluit in eiusdem paroeciae ecclesia – aliaeque celebrationes variis in locis Peruviae statim ostenderunt necessitatem continuo colligendi testimonia vivamque servare memoriam eorum martyrii.

3. Presbyter ALEXANDER DORDI natus est die XXII mensis Ianuarii anno MCMXXXI in loco Gromo San Marino, parva villa oppidi Gandellino, in Valle Seriana in Italia. Seminarium Bergomense ingressus, mox petivit ut nomen dare posset communitati missionariae «Paradisi», videlicet dioecesano insti-

tuto quod illo tempore incohavit Reverendissimus Dominus Hadrianus Bernareggi, Episcopus Bergomensis, ut pastoralibus necessitatibus provideretur. Sacerdos ordinatus est die XII mensis Iunii anno MCMLIV. Duodecim per annos Venerabilis Servus Dei exercuit ministerium pastorale in dioecesi Clodiensi, ac deinde inter emigratos Italicos in oppido Le Locle in pago Novicastro in Helvetia, usque ad annum MCMLXXX, cum suo ab Episcopo licentiam petivit in Peruvia proficiscendi ad servitium pauperibus praebendum. In cor plebis vallis fluminis Santa intravit, septentrionali in parte dioecesis Cimbotiensis, quo eum Episcopus loci destinavit. Etiam si nullo modo politicam actuositatem exercuerit, studuit infirmiores protegere, inter eos evangelica bona promovere atque varia incepta formativa pro diversis fidelium coetibus instituere. Huiusmodi verum pastoralia opera vehementem provocarunt adversationem excursorum sodalitatis terroris vocatae «Semita Luminosa». Itaque post multas minationes vespere diei XXV mensis Augusti anno MCMXCI, dum ipse versus domum paroecialem iter faciebat, celebrata ultima Missa in loco Vinzos, manipulus tromocratarum ipsi insidias collocavit, ac post brevissimam interrogationem manuballista eum interfecit prope locum Rinconada. Sollemnem post ritum funebrem celebratum in ecclesia cathedrali Limana, exsuviae Venerabilis Servi Dei in Italiam translatae sunt et in coemeterio loci Gromo San Marino inhumatae.

Ex voluntate Episcopi Cimbotiensis, probante Conferentia Episcopali Peruviana, una beatificationis causa incohata est super martyrio trium sacerdotum. Inquisitio dioecesana peracta est a die IX mensis Augusti anni MCMXCVI usque ad diem XXV mensis Augusti anni MMII. Consultores Theologi congregati in congressu peculiari die XXIX mensis Aprilis anno MMXIV faventem tulerunt sententiam de martyrio horum trium Servorum Dei. Itemque iudicarunt Patres Cardinales et Episcopi, in Sessione Ordinaria die III mensis Februarii anno MMXV. Idcirco Nos Ipsi facultatem dedimus ut Congregatio de Causis Sanctorum Decretum de martyrio promulgaret, ac deinde statui-mus ut sollemnis ritus beatificationis in urbe Cimbotiensi in Peruvia die V mensis Decembris anno MMXV celebraretur.

Hodie igitur Cimbotiae de mandato Nostro Venerabilis Frater Noster Angelus S.R.E. Cardinalis Amato, S.D.B., Praefectus Congregationis de Causis Sanctorum, textum Litterarum Apostolicarum legit, quibus Nos Venerabiles Servos Dei Sbigneum Strzałkowski, Michaëlem Tomaszek et Alexandrum Dordi in Beatorum numerum adscribimus:

Nos, vota Fratris Nostri Angeli Francisci Simón Piorno, Episcopi Cimbrotiensis, necnon plurimorum aliorum Fratrum in Episcopatu multorumque christifidelium explentes, de Congregationis de Causis Sanctorum consulto, auctoritate Nostra Apostolica facultatem facimus ut Venerabiles Servi Dei Michaël Tomaszek et Sbigneus Strzałkowski, sacerdotes professi ex Ordine Fratrum Minorum Conventualium, et Alexander Dordi, sacerdos dioecesanus, martyres, fideles caritatis iustitiaeque evangelicae testes usque ad vitae donum pro fratrum amore oblatum, Beatorum nomine in posterum appellentur, eorumque festum primorum die nona et ultimi die quinta et vicesima mensis Augusti in locis et modis iure statutis quotannis celebrari possit. In nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti.

Spiritus Sanctus Ecclesiam conducit in missionis viis. Eadem continuat et per historiam explicat missionem ipsius Christi, qui evangelizare pauperibus missus est; eadem via, instigante Spiritu Christi, Ecclesia procedere debet ac ipse Christus processit, via nempe paupertatis, oboedientiae, servitii et sui ipsius immolationis usque ad mortem, ex qua per resurrectionem suam victor processit. Hoc modo semen est sanguis christianorum (cfr CCE 852). Quod isti beati Martyres firmiter credebant, vita sua et sanguinis effusione contestati sunt nobisque uti iter sequendum indicant.

Quod autem decrevimus, volumus et nunc et in posterum tempus vim habere, contrariis rebus quibuslibet non obstantibus.

Datum Romae, apud Sanctum Petrum, sub anulo Piscatoris, die v mensis Decembris anno MMXV, Pontificatus Nostri tertio.

De mandato Summi Pontificis

PETRUS Card. PAROLIN

Secretarius Status

Loco  Plumbi

In Secret. Status tab., n. 66.756

III

Venerabilibus Servis Dei Valentino Palencia Marquina et IV sociis, martyribus, Beatorum honores decernuntur.

FRANCISCUS PP.

Ad perpetuam rei memoriam. — «Calicem quidem, quem ego bibo, bibetis et baptismum, quo ego baptizor, baptizamini» (*Mc* 10, 39).

Martyris illius in Golgotha discipuli fideles, Venerabiles Servi Dei Valentinus et socii crucem amplexi sunt, cruore suo fidei candidam vestem tinxerunt et, ex eodem dominico calice haurientes, in salutari sanguine Christi baptizati sunt.

Priore dimidia parte saeculi vicesimi Ecclesia catholica in Hispania dira vehementia concussa est per leges, quae exercitium cultus una et navitates praepediebant religiosas. Hoc modo vera quaedam perbrevis conspici potuit persecutio, quae praeter amissionem atque diffusum miri artis patrimonii interitum terrorem instauravit. Presbyteri, religiosi viri et mulieres cogitato studio calumniis minisque affecti sunt ac paroeciis communitatibusque deserendis saepius adstricti et multi indecorem carcerem vel et necem passi. Libertas cultus coercita est et etiam suppressa, templa ac coemeteria prophanata atque deleta. Innumeris in tanti seditiosi terroris victimis multi quoque annumerantur laici, qui heroice deligerunt se fidem nihil abdicare. Praesertim dein ab anno MCMXXXVI, inaudita comparatorum compositorumque scelerum grassata est copia atque ubique per Hispaniae territoria crescenti vi persecutiones amplificatae sunt. Tanta in vastitate Burgum parumper locus constitit amoenus, non autem perinde urbs vulgo *Suances* in Cantabria, ubi gloriosae Christi martyrum coronae adiunguntur:

1. VALENTINUS PALENCIA MARQUINA. Burgi anno MDCCCLXXI natus, presbyteratu auctus est anno MDCCCXCV. Post prima officia pastoralia, Collegium dioecesanum pro pueris pauperibus, infirmis ac derelictis fundavit, in quod triginta amplius annos omni studio incubuit. De eo dictum est: «Ipse misericordia erat». Aestate saepius discipulos parentibus orbatos ad mare urbis *Suances* intra fines dioecesis Santanderiensis prosequabatur.

2. DONATUS RODRÍGUEZ GARCÍA. In loco vulgo *Santa Olalla de Valdivielso* die XXVII mensis Ianuarii anno MCMXI natus, inde ab infantia invalidus

cruceorum auxilio incedebat et doctor in clavichordio pulsando renuntiatus erat.

3. GERMANUS GARCÍA GARCÍA. In loco vulgo *Villanueva de Argaño* die xxx mensis Octobris anno MCMXII natus, voluntarium magisterium apud Collegium a Reverendo Domino Valentino Palencia institutum exercebat.

4. ZACHARIAS CUESTA CAMPO. In loco vulgo *Villasidro* die XI mensis Iunii anno MCMXVI natus, altero pede claudus, musicam studebat in eodem Collegio et sutrinam faciebat.

5. AEMILIUS HUIDOBRO CORRALES. In loco vulgo *Villaescusa del Butrón* die IX mensis Augusti anno MCMXVII natus, in Collegio vivebat, cum post mortem matris vitricus eum repudiavisset, et varia instrumenta musica pulsare didicerat.

In miserrimis civilis belli adiunctis, hi Servi Dei fidelitatem suam Christo et Ecclesiae confirmare contententes mortem obierunt. Summatim iniusteque capitis damnati, palam in odium fidei interempti sunt. Post meridiem diei XV mensis Ianuarii anno MCMXXXVII, seditiosi duo anarchici e Comitatu Belli urbis *Suances* propter delationem Reverendum Dominum Valentinum Palencia deprehenderunt, qui, interdicto celebrationis Sanctae Missae ab armatis iniuncto praetermisso, Eucharistiam celebrare confessionesque audire perseveraverat, iuvenesque etiam quosdam cum eo, omni spreto iure, vinculis oneraverunt. In carcerem omnes una duxerunt eosque noctu, occulte iam translatos, in solitudine interfecerunt, exanimata eorum corpora insepulta proicientes. Quorum recognitionem deinde crucea et bacula expedierunt, quibus Donatus et Zacharias ad deambulandum utebantur. Una Venerabilis Servi Dei Valentini Palencia Marquina damnationis ratio presbyteratus eius fuit, dum iuvenes eius socii interempti sunt, quia christiani erant opusque educativum ac pastorale Reverendi Domini Valentini Palencia communicabant. Omnino sibi conscii sese hanc per viam ad necem adducturos esse, a confessione tamen Christi, licet transferre illum calicem a se possent, numquam defecerunt. Hoc apertius ex eo constat, quod alii iuvenes e custodia sunt dimissi et duo, qui cum illis erant, ut vitam salvam facerent, vel in presbyterum arguendum calumniis processerunt. Responsum autem Venerabilium Servorum Dei coram persecutoribus summa fuit fidei confessio fidensque suis ipsius oblatio divinae voluntati.

Super horum Servorum Dei caedem, quorum fama martyrii admodum incessit et in communitate ecclesiali perseveravit, apud Curiam Episcopalem

Burgensem a die XXX mensis Septembris anni MCMXCVI ad diem XVIII mensis Martii anni MCMXCIX Inquisitio dioecesana canonice celebrata est, cuius auctoritas et vis iuridica a Congregatione de Causis Sanctorum decreto diei VIII mensis Novembris anno MCMXCIX probatae sunt. Positione confecta, die XI mensis Aprilis anno MMXIII Congressus Peculiaris Consultorum Theologorum prosperam sententiam quoad martyrium censuit. Patres Cardinales et Episcopi in Sessione Ordinaria die XXIX mensis Septembris anno MMXV habita agnoverunt hos Venerabiles Servos Dei ob fidelitatem erga Christum et Ecclesiam confessam verum in odium fidei martyrium passos esse.

Nosmet Ipsi insequenti die XXX eiusdem mensis Septembris concessimus, ut Congregatio de Causis Sanctorum Decretum super martyrio promulgaret, atque statuimus proinde, ut ritus Beatificationis die XXIII mensis Aprilis anno MMXVI Burgi in Hispania perageretur.

Hodie igitur hac in urbe de mandato Nostro Venerabilis Frater Noster Angelus S.R.E. Cardinalis Amato, S.D.B., Praefectus Congregationis de Causis Sanctorum, textum Litterarum Apostolicarum legit, quibus Nos Venerabiles Servos Dei Valentinum Palencia Marquina et IV socios in Beatorum numerum adscribimus:

Nos, vota Fratris Nostri Fidelis Herráez Vegas, Archiepiscopi Metropolitanae Burgensis, necnon plurimorum aliorum Fratrum in Episcopatu multorumque christifidelium explentes, de Congregationis de Causis Sanctorum consulto, auctoritate Nostra Apostolica facultatem facimus, ut Venerabiles Servi Dei Valentinus Palencia Marquina, sacerdos dioecesanus, praeceptor iuvenum, et IV socii, laici, sodales in apostolatu eius, martyres, heroici testes Evangelii, Beatorum nomine in posterum appellentur eorumque festum die quinta decima mensis Ianuarii in locis et modis iure statutis quotannis celebrari possit. In nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti.

Quae autem his Litteris decrevimus, nunc et in posterum rata et firma esse volumus, contrariis quibuslibet rebus minime obstantibus.

Datum Romae, apud Sanctum Petrum, sub anulo Piscatoris, die XXIII mensis Aprilis, anno Domini bismillesimo decimo sexto, Pontificatus Nostri quarto.

De mandato Summi Pontificis

PETRUS Card. PAROLIN

Secretarius Status

Loco ☩ Plumbi

In Secret. Status tab., n. 342.275

IV

Venerabili Dei Servo Francisco Mariae Greco Beatorum honores decernuntur.

FRANCISCUS PP.

Ad perpetuam rei memoriam. — «Age quod agis, fideliter labora in vinea mea, ego ero merces tua. Omnia mihi facienda sunt ut cuncti homines Deum Omnipotentem glorificent atque Virginem Matrem magis magisque venerentur. Oportebit mihi multum laborare in vinea Domini. Ipse, Beatissima Maria intercedente, mihi dabit omnes gratias quibus egeo» (ex libello diario Francisci Mariae Greco, die XVIII mensis Octobris, anno MDCCCLXXXVIII).

Venerabilis Servus Dei Franciscus Maria Greco haec verba non solum scripsit in suo libello diario, verum etiam explevit ea in vita sua per ministerium fidele in vinea Domini. Parochus et ordinis religiosi fundator, ille spiritualitatem sacerdotii ardentem coluit perspicuaque Boni Pastoris imago factus est, demonstrans se sollertem Regni Dei opificem esse.

Servus Dei natus est die XXVII mensis Iulii anno MDCCCLVII Acrio, in territorio hodiernae archidioecesis Cosentinae-Bisinianensis, primogenitus filius coniugum Raphaëlis Greco et Mariae Conceptae Pancaro. In familia humana necnon christiana educatione accepta, ille consecuturus erat munus patris sui, scilicet pharmacopolam oppidi. Quamobrem Neapolim, studiorum causa, anno MDCCCLXXIV petivit, qua in urbe ad sacerdotium se vocari sensit appetivitque “fieri sacerdos bene instructus ut ministerium bene impleret”. Hoc subinde propositum suum concredidit Beatae Virgini Mariae a Sancto Rosario, cuius sanctuarium Pompeianum pluries visitavit. Obstantia patris superata, diligenter se paravit mente et spiritu ad ordinationem sacerdotalem accipiendam, quam Acrio accepit die XVII mensis Decembris anno MDCCCLXXXI. Anno vero MDCCCLXXXVIII, suum ad locum originarium reversus, archipresbyter-parochus factus est ecclesiae Sancti Nicolai in vico Arcis Acrii, ubi mansit usque ad suum obitum. Illic dedit operam ad propriam missionem explendam, animum intendens in bonum spiritale fidelium fovendum atque necessitatibus pauperrimorum subveniendum. Intellexit enim missionem suam parochi tamquam Boni Samaritani qui homines curavit malo et vitio affectos, ita ut iis fidem debilitatam vel omnino amissam ad novum vigorem redintegraret. Maximo usui fuerunt ad eius apostolatam adimplendum in primis praedicatio et Reconciliationis sacramenti administratio. Ad

corda hominum verbis simplicibus et dilucidis loquebatur, invitans eos ad orationem, ad communionem Eucharisticam et ad confessionem frequentem. Animum intendit praesertim ad formationem conscientiae hominum necnon ad corroborationem concordiae, reverentiae et iustitiae inter eos in ambitu sociali. Maximum vero opus fundatum eius fuit Congregatio Sororum Parvarum Operariarum a Sacris Cordibus, anno MDCCCXCIV constituta, quam incohavit communi studio Servae Dei Sororis Mariae Teresiae De Vincenti (Acrio, MDCCCLXXII-MCMXXXVI), primae deinde Moderatricis Generalis eiusdem communitatis. Huic novo Instituto, “condito essentialiter super amorem et exercitationem vitae interioris, necnon humilitatem et caritatem nostri Domini Iesu Christi”, Fundator missionem concedidit collaborationis in Regnum Dei diffundendum per catechesim et opera caritatis. Ille, oratione ac pietate motus, dedicavit huius Congregationis opera Sacratissimis Cordibus Iesu et Mariae ut actio eius apostolica in perfectione caritatis corroboraretur eo modo ut “omnia instaurarentur in Christo”. Tamquam parvae “operariae in Regno Dei”, sorores missae sunt ad remotissimos locos Calabriae in quibus maximae fuerunt difficultates humanae et spirituales. Servus Dei instituit etiam peculiarem ramum, videlicet sororum ritus Byzantini ad populum Italum-Albanum eiusdem regionis destinatum, ut fraternam communionem et caritatem ecclesiam corroboraret. Pauper inter pauperes factus Evangeliumque constanter testatus, Servus Dei multum contulit ad renovationem moralem et spiritalem clericorum, qui facilius tetenderant ad lucrum e munere suo adipiscendum. In gratiam apud Ordinarios initus, ille vocatus est ad munera exercenda in dioecesi Sancti Marci Argentanensis-Bisinianensis, utpote Decani et Docentis Theologiae Dogmaticae necnon Sacrae Scripturae apud Seminarium Bisinianense, cuius Moderator fuit triennio cuiusque alumni eum patrem et magistrum tam bonum agnoverunt ut, sacerdotes ordinati, commercium epistolarum cum eo avidè haberent. Laude dignus magnaue fama sanctitatis circumdatus, Franciscus Greco sua vita terrestri defunctus est Acrio die XIII mensis Ianuarii anno MCMXXXI.

Cum fama sanctitatis huius Venerabilis Servi Dei, tam vita quam morte ostensa, auxerit per annos, Episcopus dioecesis Sancti Marci Argentanensis-Bisinianensis Processum Informativum incohavit anno MCMLVII. Sanctus Ioannes Paulus II heroicam virtutum eius approbavit die XIX mensis Aprilis anno MMIV.

Cunctis ad legem spectantibus habitis, praebita est Congregationi de Causis Sanctorum, beatificationis causa, quaedam sanatio intercessionem Ve-

nerabilis Servi Dei tributa et in archidioecesi Tarentina mense Februario anni MMIII facta. Coetus Medicorum Congregationis de Causis Sanctorum, die VIII mensis Iunii anno MMXV congregatus, hanc sanationem scientificè inexplicabilem iudicavit. Die X mensis Septembris anno MMXV habitus est Congressus Peculiaris Consultorum Theologorum, qui iudicaverunt hanc sanationem a Deo patratam esse per intercessionem Venerabilis Servi Dei Francisci Mariae Greco. Die XII mensis Ianuarii anno MMXVI acta est Congregatio Ordinaria Patrum Cardinalium et Episcoporum, qui hanc sanationem verum enuntiaverunt miraculum. Quapropter Nos Ipsi die XXI mensis Ianuarii anno MMXVI mandavimus ut Congregatio de Causis Sanctorum Decretum super miro promulgaret atque statuimus ut sollemnis beatificationis ritus die XXI mensis Maii anno MMXVI Cosentiae celebraretur.

Hodie igitur, in praedicta urbe, de mandato Nostro Venerabilis Frater Noster Angelus S.R.E. Cardinalis Amato, Praefectus Congregationis de Causis Sanctorum, textum Litterarum Apostolicarum legit, quibus Nos Venerabilem Servum Dei Franciscum Mariam Greco in Beatorum numerum adscribimus:

Nos, vota Fratris Nostri Francisci Antonii Nolè, O.F.M. Conv., Archiepiscopi Metropolitae Cosentini-Bisinianensis, necnon plurimorum aliorum Fratrum in Episcopatu multorumque christifidelium explentes, de Congregationis de Causis Sanctorum consulto, auctoritate Nostra Apostolica facultatem facimus ut Venerabilis Servus Dei Franciscus Maria Greco, sacerdos dioecesanus et parochus, indefessus Evangelii apostolus, Congregationis Sororum Parvarum Operariorum a Sacris Cordibus Fundator, Beati nomine in posterum appelletur, eiusque festum die decima tertia mensis Ianuarii, qua in caelum ortus est, in locis et modis iure statutis quotannis celebrari possit. In nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti.

Quae vero per has Litteras statuimus, ea firma sint in perpetuum, contrariis quibuslibet non obstantibus.

Datum Romae, apud Sanctum Petrum, sub anulo Piscatoris, die XXI mensis Maii, anno Domini MMXVI, Pontificatus Nostri quarto.

De mandato Summi Pontificis

PETRUS Card. PAROLIN

Secretarius Status

Loco E Plumbi

In Secret. Status tab., n. 312.892

V

Venerabili Servae Dei Mariae a Iesu Beatorum honores decernuntur.

FRANCISCUS PP.

Ad pertuam rei memoriam. — «Qui recipit vos, me recipit; et, qui me recipit, recipit eum, qui me misit» (*Mt* 10, 40).

Venerabilis Serva Dei Maria a Iesu (in saeculo: Carolina Santocanale) haec verba Domini ad effectum adduxit; illa quae dives olim fuit, pauper facta est ut amanter parentibus orbatos et derelictos infantes acciperet, in iis Salvatoris praesentiam animadvertens.

Haec caritatis Christi testis Panormi die II mensis Octobris anno MDCCCLII est nata. In familia christiano modo instituta, signa vocationis ad vitam consecratam, viginti annos nata, percepit atque suum desiderium religiosum in spiritu sancti Francisci Assisiensis peragere coepit, hanc electionem potissimum participatione toto amore Eucharistiae corroborans. Quamvis e nobili divitique stirpe esset atque multa matrimonii proposita acciperet, Deo pauperibusque corde indiviso se dicare decrevit. Magni momenti fuit occursum cum beato Iacobo Cusmano, cuius opus caritativum, ita dictum «Frustum panis pauperis», illis annis Panormi diffundebatur atque tota in Sicilia. Maioris etiam ponderis fuit occursum cum sacerdote Mauro Venuti, cui postea suum concredidit spiritale moderamen.

Venerabilis Serva Dei se attractam sentiebat a splendore Franciscali atque decrevit spiritualitatem sequi Pauperis Assisiensis, extraordinariam transigens austeritatis viam. Eius parentes contrarii fuerunt ut religiosam vocationem sequeretur, tantummodo post inexplicabilem sanationem a gravi morbo licentiam ei dederunt ut apostolicam inciperet navitatem in Cinisi, loco videlicet nativo familiae, Parocho et Episcopo dioecesano plane faventibus. Eius praesentia in illa paroecia ortum consociationum feminarum fovit, catechismum omnibus infantibus tradere sivit atque initium fuit spiritualis renovationis. Die XIII mensis Iunii anno MDCCCLXXXVII habitum tertiariae Franciscanae Capuccinae induit, nomine assumpto sororis Mariae a Iesu. Aliae iuvenes ei adhaeserunt quae veluti vitae propositum fieri voluit «educatrix, caritatis soror, pauperum mater, ad exercendum quodvis munus parata, etiam humillimum». Nova communitas pauperibus et aegrotis iuvandis

se dicavit, cotidianam stipem adhibens. Postea decrevit etiam parentibus orbatas puellas accipere. Die VIII mensis Decembris anno MCMIX haec parva religiosa familia de Cinisi quae inde futura erat Congregatio Sororum Capuccinarum ab Immaculata Lapurdensi se aggregavit Ordini Fratrum Minorum Capuccinorum. Tum cum pastoralementem navitatem in paroecia exerceret tum post completam fundationem, Venerabilis Serva Dei certare debuit multis cum incomprehensionibus et rebus adversis, superans eas precibus et amore erga Iesum Sacramentatum; saepe prope tabernaculum per longum tempus genuflexa orabat. Eius vita spiritalis alta fide est sustentata, intensa caritate vivificata et firmata quae eam in ministerio duxit erga egentiores. Spes ei fuit lumen toto in itinere et humilitas ita insignivit eam ut gradui nobilitatis renuntiaret atque gradui pauperum adhaereret, pro quibus etiam mendicavit. Teneritate atque sensu materno erga infantes eminebat, potissimum erga parentibus orbatos et derelictos, atque sollicitudine de senioribus sine ulla sustentatione. Dives meritis et fame sanctitatis circumdata, die XXVII mensis Ianuarii anno MCMXXIII in Cinisi pie in Domino obdormivit. Exsequias eius multi participaverunt fideles qui in ea fidelem admirabantur discipulam Christi.

Augente sanctitatis fama, Monte Regali Processus Informativus est celebratus, die X mensis Ianuarii anno MCMLXXVIII ad finem adductus. Adimpletis omnibus secundum iuris normas atque *Positione* parata, Consultores Theologi sententiam positivam circa sanctitatem Servae Dei protulerunt. Patres Cardinales et Episcopi in Sessione Ordinaria die XI mensis Aprilis anno MM idem edixerunt. Sanctus Ioannes Paulus II die I mensis Iunii anno MM Servam Dei heroicam in modum virtutes exercuisse agnovit. Pro beatificatione Postulatio Causae praebuit examini huius Congregationis de Causis Sanctorum assertam miram sanationem, quae in Sicilia die XIX mensis Septembris anno MMIII evenit. De huiusmodi eventu, miro considerato, apud Curiam Montis Regalis a die XVII mensis Iunii secundum suetas normas ad diem IV mensis Decembris anno MMXIII Inquisitio dioeciesana est instructa, cuius iuridica validitas Decreto diei XXI mensis Martii anno MMXIV est recognita. Consultores Medici eiusdem Congregationis in Sessione die XXIX mensis Ianuarii anno MMXV iudicaverunt eventum sub luce scientiae et medicinae inexplicabilem esse. Die XXI mensis Aprilis eodem anno Congressus Peculiaris Consultorum Theologorum, faventi cum exitu, est actus. Patres Cardinales et Episcopi in Sessione Ordinaria die XXVII mensis Octobris anno MMXV edixerunt hanc

sanationem verum miraculum fuisse. Nosmet Ipsi Congregationi de Causis Sanctorum facultatem fecimus ut Decretum super miro die XIV mensis Decembris anno MMXV promulgaret. Decrevimus etiam ut Beatificationis ritus die XII mensis Iunii insequentis anni Monte Regali perageretur.

Hodie igitur eadem in urbe de mandato Nostro Venerabilis Frater Noster Angelus S.R.E. Cardinalis Amato, S.D.B., Praefectus Congregationis de Causis Sanctorum, textum Litterarum Apostolicarum legit, quibus Nos Venerabilem Servam Dei Mariam a Iesu, virginem, in Beatorum numerum adscribimus:

Nos, vota Fratris Nostri Michaëlis Pennisi, Archiepiscopi Montis Regalis, necnon plurimorum aliorum Fratrum in Episcopatu multorumque christifidelium explentes, de Congregationis de Causis Sanctorum consulto, auctoritate Nostra Apostolica facultatem facimus ut Venerabilis Serva Dei Maria a Iesu (in saeculo Carolina Santocanale), virgo, Fundatrix Congregationis Sororum Capuccinarum ab Immaculata Lapurdensi, mater misericors erga pauperes et infirmos, catechista assidua Evangelii nuntiatrice, Beatæ nomine in posterum appelletur, eiusque festum die vicesima septima mensis Ianuarii, qua in caelum orta est, in locis et modis iure statutis quotannis celebrari possit. In nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti.

Clara haec soror spiritalem ostendit progressum, Christi eiusque Ecclesiae dilectionem atque insignia dedit pietatis testimonia. Dum illius conspicimus vitam, virtutes et navitatis multa incepta, ad altiorem usque in cotidiano itinere imitationem Salvatoris incitamus sanctitatem et proprii status perfectionem desiderantes.

Quae autem his Litteris decrevimus, nunc et in posterum rata et firma esse volumus, contrariis quibuslibet rebus minime obstantibus.

Datum Romae, apud Sanctum Petrum, sub anulo Piscatoris, die XII mensis Iunii, anno Domini MMXVI, Iubilaeo Misericordiae, Pontificatus Nostri quarto.

De mandato Summi Pontificis

PETRUS Card. PAROLIN

Secretarius Status

Loco  Plumbi

In Secret. Status tab., n. 88.838

VI

Venerabilibus Dei Servis Iosepho Antón Gómez ac tribus Sociis caelitem Beatorum tribuitur dignitas.

FRANCISCUS PP.

Ad perpetuam rei memoriam. — «Dico autem vobis amicis meis: Ne terreamini ab his, qui occidunt corpus et post haec non habent amplius, quod faciant» (*Lc* 12, 4).

Quod suis discipulis transmisit Dominus id studiose a quattuor Venerabilibus Servis Dei est receptum, monachis Ordinis Sancti Benedicti. Ipsi, ingruente persecutione adversum catholicam Ecclesiam Hispanicam in prima saeculi XX parte, fideles suum in Dominum manere non dubitarunt et, iuxta suam consecrationem, usque ad sanguinis effusionem sancti Conditoris secuti sunt doctrinam: "Nihil antepone re Christo". Hi strenui religiosi fuerunt:

1. IOSEPHUS ANTÓN GÓMEZ die XXVI mensis Augusti anno MDCCCLXXVIII in oppido Hacinas prope Burgum Hispaniae natus est. Anno MDCCCXCI scholam Benedictinorum sancti Dominici Silensis Matriti est ingressus atque quinque post annos religiosum vestimentum induit. Perpetua vota religiosa die XX mensis Octobris anno MCM nuncupavit et sacerdos est ordinatus die XXXI mensis Augusti anno MCMII. Complura munera absolvit, videlicet moderatoris oblatorum et ephemeridis *Revista Ecclesiástica*, bibliothecarii, consilarii, visitatoris monasteriorum Mexicanorum. Die VIII mensis Septembris anno MCMXIX communitatis Dominae Nostrae Montis Serrati Matritensis, quae monasterio Silensi subiecta erat, nominatus est superior, se dedens Sacramento Reconciliationis celebrando et animabus moderandis. Pius, urbanus ac misericors religiosus fuit. Mense Iulio anno MCMXXXVI domum religiosam relinquere coactus, ad familiam amicam confugit. Deinde in quodam deversorio domicilium invenit. Detectus a militibus, est captus et manuballista in loco Fomento die XXV mensis Septembris anno MCMXXXVI necatus est.

2. ANTOLINUS PAULUS VILLANUEVA in oppido Lerma apud Burgum Hispaniae die II mensis Septembris anno MDCCCLXXI natus est. Anno MDCCCLXXXIV ut oblatus in abbatiam Silensem est ingressus et ibi sua studiorum curricula absolvere coepit. Vota perpetua die XIII mensis Ianuarii anno MDCCCXCIV nuncupavit atque die XIX mensis Septembris anno MDCCCXCVI presbyter est consecra-

tus. Annis MDCCCXCVII-MCMI palaeographiae ediscendae apud École Nationale de Chartes Lutetiae Parisiorum dedit operam. Anno MCMI in Mexicum missus est, novum monasterium conditurus. Patria anno MCMIV repetita, anno MCMIX iterum in Mexicum se contulit, ut sustineret munus Superioris domus Sancti Raphaelis. Ob religiosam persecutionem illinc depulsus, anno MCMXIX monasterium Silense tandem repetiit. Communitate dissoluta, a necessariis hospitio est acceptus. Agnitus, a militibus est captus atque, postquam mensem in carcere est detentus, die VIII mensis Novembris anno MCMXXXVI manuballista apud Matritum Hispaniae interemptus est.

3. IOANNES RAPHAËL MARIANUS ALCOCER MARTÍNEZ Matriti die XXIX mensis Octobris anno MDCCCLXXXIX natus est. A novitiatu anno MCMX incohato abstractus est ut stipendia mereret. Monasterio Silensi repetito, die IX mensis Maii anno MCMXVIII vota perpetua nuncupavit et die XXV mensis Augusti eiusdem anni sacro ordine est auctus. Primum ad monasterium S. Mariae de Cogullada Caesaraugustae est destinatus, ac deinde ad monasterium Dominae Nostrae Montis Serrati Matritensis, ubi praedicatione enituit. Die XXX mensis Septembris anno MCMXXXVI captus est atque, in carcerem loci Ferraz (Matriti) deductus, die IV insequentis mensis Octobris necatus est.

4. ALOISIUS EULOGIUS VIDAURRÁZAGA GONZÁLEZ Flaviobrigae Hispaniae die XIII mensis Septembris anno MCMI natus est. Anno MCMXIV apud monasterium Silense est receptus, ubi vota perpetua die XV mensis Septembris anno MCMXXII nuncupavit. Sacerdos die XIX mensis Decembris anno MCMXXV est ordinatus. Primum ad monasterium S. Mariae de Cogullada Caesaraugustae est destinatus et post anno MCMXXVIII ad monasterium Dominae Nostrae Montis Serrati Matritensis. A necessariis hospitio receptus, die XXXI mensis Decembris anno MCMXXXVI a militibus est detectus, ut monachus Benedictinus agnitus, confestim est interemptus.

Sanctitatis ac martyrii fama perstante, Abbas Abbatiae Silensis, pater Clemens Serna, inductus est ut ab Archiepiscopo Matritensi, Antonio S.R.E. Cardinale Rouco Varela, postularet qui dioecesanam inquisitionem incoharet. Qua anno MMV absoluta, Congregatio de Causis Sanctorum die XXXI mensis Martii anno MMVI eiusdem iuridicam validitatem per Decretum agnovit. Iis rebus servatis iure statutis, Consultores theologi, in Congressione peculiari die XXXI mensis Martii anno MMXV coadunati, favens suffragium de martyrii evento tulerunt et item Patres Cardinales et Episcopi censuerunt in Congressione ordinaria die XIV mensis Martii anno MMXVI. Nos Ipsi facultatem

fecimus ut Congregatio de Causis Sanctorum congruum Decretum die xxvi subsequentis mensis Aprilis ederet et statuimus ut beatificationis ritus Matriti in Hispania die xxix mensis Octobris anno MMXVI celebraretur.

Hodie igitur Matriti ex mandato Nostro, Angelus S.R.E. Cardinalis Amato, S.D.B., Praefectus Congregationis de Causis Sanctorum, Apostolicas legit Litteras quibus Nos in Beatorum catalogum rettulimus Venerabiles Dei Servos Iosephum Antón Gómez ac tres Socios:

Nos, vota Fratris Nostri Caroli Osoro Sierra, Archiepiscopi Metropolitae Matritensis, necnon plurimorum aliorum Fratrum in Episcopatu multorumque christifidelium explentes, de Congregationis de Causis Sanctorum consulto, auctoritate Nostra Apostolica facultatem facimus ut Venerabiles Servi Dei Iosephus Antón Gómez, Antolinus Paulus Villanueva, Raphaël Alcocer Martínez, Aloisius Vidaurrázaga González, Sacerdotes professi Ordinis S. Benedicti, martyres, assidui in vinea Domini operarii, qui in offerenda Ipsi vita non haesitaverunt ut cum Eo aeternam liturgiam caelestem celebrarent, Beatorum nomine in posterum appellentur, eorumque festum die vicesima quinta mensis Septembris in locis et modis iure statutis quotannis celebrari possit. In nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti.

Clari hi martyres Salvatoris praecepta studiose receperunt, sedulam ostendentes spiritalem progressum, Christi eiusque Ecclesiae dilectionem, atque insignia dederunt pietatis et fortitudinis testimonia. Dum illorum conspicimus vitam, qui Redemptorem hominum etiam variis in difficultatibus fideliter sunt secuti, ad altiorem usque in cotidiana vita imitationem Domini nostri incitatur adque sanctitatem et proprii status perfectionem prosequendam invitatur.

Quod autem decrevimus, volumus et nunc et in posterum tempus vim habere contrariis rebus quibuslibet non obstantibus.

Datum Romae, apud Sanctum Petrum, sub anulo Piscatoris, die xxix mensis Octobris anno MMXVI, Pontificatus Nostri quarto.

De mandato Summi Pontificis

PETRUS Card. PAROLIN

Secretarius Status

Loco ☉ Plumbi

In Secret. Status tab., n. 396.273

HOMILIA

Occasione VI anniversarii visitationis Lopadusae.*

Oggi la Parola di Dio ci parla di salvezza e di liberazione.

Salvezza. Durante il suo viaggio da Bersabea a Carran, Giacobbe decide di fermarsi a riposare in un luogo solitario. In sogno, vede una scala che in basso poggia sulla terra e in alto raggiunge il cielo.¹ La scala, sulla quale salgono e scendono gli angeli di Dio, rappresenta il collegamento tra il divino e l'umano, che si realizza storicamente nell'incarnazione di Cristo,² offerta amorosa di rivelazione e di salvezza da parte del Padre. La scala è allegoria dell'iniziativa divina che precede ogni movimento umano. Essa è l'antitesi della torre di Babele, costruita dagli uomini che, con le proprie forze, volevano raggiungere il cielo per diventare dèi. In questo caso, invece, è Dio che "scende", è il Signore che si rivela, è Dio che salva. E l'Emmanuele, il Dio-con-noi, realizza la promessa di mutua appartenenza tra il Signore e l'umanità, nel segno di un amore incarnato e misericordioso che dona la vita in abbondanza.

Di fronte a questa rivelazione, Giacobbe compie un atto di affidamento al Signore, che si traduce in un impegno di riconoscimento e adorazione che segna un momento essenziale nella storia della salvezza. Chiede al Signore di proteggerlo nel difficile viaggio che dovrà proseguire e dice: «Il Signore sarà il mio Dio».³

Facendo eco alle parole del patriarca, al Salmo abbiamo ripetuto: "Mio Dio, in te confido". È Lui il nostro rifugio e la nostra fortezza, scudo e corazza, ancora nei momenti di prova. Il Signore è riparo per i fedeli che lo invocano nella tribolazione. Del resto è proprio in questi frangenti che la nostra preghiera si fa più pura, quando ci accorgiamo che valgono poco le sicurezze che offre il mondo e non ci resta che Dio. Solo Dio spalanca il Cielo a chi vive in terra. Solo Dio salva.

E questo totale ed estremo affidamento è ciò che accomuna il capo della sinagoga e la donna malata nel Vangelo.⁴ Sono episodi di *liberazione*.

* Die 8 Iulii 2019.

¹ Cfr *Gen* 28, 10-22a.

² Cfr *Gv* 1, 51.

³ *Gen* 28, 21.

⁴ Cfr *Mt* 9, 18-26.

Entrambi si avvicinano a Gesù per ottenere da Lui ciò che nessun altro può dare loro: liberazione dalla malattia e dalla morte. Da una parte abbiamo la figlia di una delle autorità della città; dall'altra abbiamo una donna afflitta da una malattia che fa di lei una reietta, una emarginata, una persona impura. Ma Gesù non fa distinzioni: la liberazione è elargita generosamente in entrambi i casi. Il bisogno pone entrambe, la donna e la fanciulla, tra gli "ultimi" da amare e rialzare.

Gesù rivela ai suoi discepoli la necessità di un'opzione preferenziale per gli ultimi, i quali devono essere messi al primo posto nell'esercizio della carità. Sono tante le povertà di oggi; come ha scritto San Giovanni Paolo II, i « "poveri", nelle molteplici dimensioni della povertà, sono gli oppressi, gli emarginati, gli anziani, gli ammalati, i piccoli, quanti vengono considerati e trattati come "ultimi" nella società». ⁵

In questo sesto anniversario della visita a Lampedusa, il mio pensiero va agli "ultimi" che ogni giorno gridano al Signore, chiedendo di essere liberati dai mali che li affliggono. Sono gli ultimi ingannati e abbandonati a morire nel deserto; sono gli ultimi torturati, abusati e violentati nei campi di detenzione; sono gli ultimi che sfidano le onde di un mare impietoso; sono gli ultimi lasciati in campi di un'accoglienza troppo lunga per essere chiamata temporanea. Essi sono solo alcuni degli ultimi che Gesù ci chiede di amare e rialzare. Purtroppo le periferie esistenziali delle nostre città sono densamente popolate di persone scartate, emarginate, oppresse, discriminate, abusate, sfruttate, abbandonate, povere e sofferenti. Nello spirito delle Beatitudini siamo chiamati a consolare le loro afflizioni e offrire loro misericordia; a saziare la loro fame e sete di giustizia; a far sentire loro la paternità premurosa di Dio; a indicare loro il cammino per il Regno dei Cieli. Sono persone, non si tratta solo di questioni sociali o migratorie! "*Non si tratta solo di migranti!*", nel duplice senso che i migranti sono prima di tutto persone umane, e che oggi sono il simbolo di tutti gli scartati della società globalizzata.

Viene spontaneo riprendere l'immagine della scala di Giacobbe. In Gesù Cristo il collegamento tra la terra e il Cielo è assicurato e accessibile a tutti. Ma salire i gradini di questa scala richiede impegno, fatica e grazia. I più deboli e vulnerabili devono essere aiutati. Mi piace allora pensare

⁵ Esort. ap. *Vita consecrata*, 82.

che potremmo essere noi quegli angeli che salgono e scendono, prendendo sottobraccio i piccoli, gli zoppi, gli ammalati, gli esclusi: gli ultimi, che altrimenti resterebbero indietro e vedrebbero solo le miserie della terra, senza scorgere già da ora qualche bagliore di Cielo.

Si tratta, fratelli e sorelle, di una grande responsabilità, dalla quale nessuno si può esimere se vogliamo portare a compimento la missione di salvezza e liberazione alla quale il Signore stesso ci ha chiamato a collaborare. So che molti di voi, che sono arrivati solo qualche mese fa, stanno già aiutando i fratelli e le sorelle che sono giunti in tempi più recenti. Voglio ringraziarvi per questo bellissimo segno di umanità, gratitudine e solidarietà.

NUNTIUS

Ad participes II Fori Communitatis *Laudato si'* (Amatrici).

Rivolgo un cordiale saluto agli organizzatori e ai partecipanti al II Forum delle *Comunità Laudato si'*, che si celebra in un territorio devastato dal terremoto che ha colpito l'Italia centrale nell'agosto del 2016 e che più di altri ha pagato un prezzo altissimo in numero di vittime.

È un segno di speranza il fatto di ritrovarsi proprio ad Amatrice, il cui ricordo è sempre presente al mio cuore, mettendo a tema gli squilibri che devastano la nostra "casa comune". Non solo è un segno di prossimità a tanti fratelli e sorelle che ancora vivono nel guado tra il ricordo di una spaventosa tragedia e la ricostruzione che tarda a decollare, ma esprime anche la volontà di far risuonare forte e chiaro che sono i poveri a pagare il prezzo più alto delle devastazioni ambientali. Le ferite inferte all'ambiente, sono inesorabilmente ferite inferte all'umanità più indifesa. Scrivevo nell'Enciclica *Laudato si'*: «Non ci sarà una nuova relazione con la natura senza un essere umano nuovo. Non c'è ecologia senza un'adeguata antropologia» (n. 118).

Dopo aver affrontato lo scorso anno il tema della plastica che sta soffocando il nostro pianeta, oggi riflettete sulla situazione grave e non più sostenibile dell'Amazzonia e dei popoli che la abitano. Vi ispirate così al tema del Sinodo dei Vescovi che si celebrerà nel prossimo ottobre per la regione panamazzonica e di cui recentemente è stato presentato l'*Instrumentum laboris*.

La situazione dell'Amazzonia è triste paradigma di quanto sta avvenendo in più parti del pianeta: una mentalità cieca e distruttrice che predilige il profitto alla giustizia; mette in evidenza l'atteggiamento predatorio con il quale l'uomo si rapporta con la natura. Per favore, non dimenticate che giustizia sociale ed ecologia sono profondamente interconnesse! Ciò che sta accadendo in Amazzonia avrà ripercussioni a livello planetario, ma già ha prostrato migliaia di uomini e di donne derubate del loro territorio, divenute straniere nella propria terra, depauperate della propria cultura e delle proprie tradizioni, spezzando l'equilibrio millenario che univa quei popoli alla loro terra. L'uomo non può restare spettatore indifferente dinanzi a questo scempio, né tanto meno la Chiesa può restare muta: il grido dei

poveri deve risuonare sulla sua bocca, come già San Paolo VI evidenziava nella sua Enciclica *Populorum progressio*.

Promosse dalla Chiesa di Rieti e da *Slow food*, le *Comunità Laudato si'* sono impegnate non solo a far risuonare l'insegnamento proposto nell'omonima Enciclica, ma a favorire nuovi stili di vita. In questa prospettiva pragmatica, desidero consegnarvi tre parole.

*La prima parola è **dossologia***

Dinanzi al bene della creazione e soprattutto dinanzi al bene dell'uomo che della creazione è vertice, ma pure custode, è necessario assumere l'atteggiamento della lode. Dinanzi a tanta bellezza, con rinnovato stupore, con occhi da fanciulli, dobbiamo essere capaci di apprezzare la bellezza di cui siamo circondati e di cui anche l'uomo è intessuto. La lode è frutto della contemplazione, la contemplazione e la lode portano al rispetto, il rispetto diviene quasi venerazione dinanzi ai beni della creazione e del suo Creatore.

*La seconda parola è **eucaristia***

L'atteggiamento eucaristico dinanzi al mondo e ai suoi abitanti sa cogliere lo statuto di dono che ogni vivente porta in sé. Ogni cosa ci viene consegnata gratuitamente non per essere depredata e fagocitata, ma per divenire a sua volta dono da condividere, dono da donare perché la gioia sia per tutti e sia, per questo, più grande.

*La terza parola è **ascesi***

Ogni forma di rispetto nasce da un atteggiamento ascetico, cioè dalla capacità di saper rinunciare a qualcosa per un bene più grande, per il bene degli altri. L'ascesi ci aiuta a convertire l'atteggiamento predatorio, sempre in agguato, per assumere la forma della condivisione, della relazione ecologica, rispettosa e garbata.

Auspico che le *Comunità Laudato si'* possano essere germe di un rinnovato modo di vivere il mondo, per dargli futuro, per custodirne la bellezza e l'integrità per il bene di ogni vivente, *ad maiorem Dei gloriam*.

Vi ringrazio e vi benedico di cuore. Pregate per me!

Dal Vaticano, 6 luglio 2019

FRANCESCO

SECRETARIA STATUS

RESCRIPTUM « EX AUDIENTIA SS.MI »

Nomen pensionis ministrorum Valetudinarii pro pueris Iesu Infantis.

Il Santo Padre Francesco, nell'udienza concessa al sottoscritto Cardinale Segretario di Stato il giorno 8 luglio 2019, ha stabilito di istituire un Fondo pensione nell'ambito dell'Ospedale Pediatrico Bambino Gesù, al fine di venire incontro alle aspettative del personale che vi presta servizio, fatte presenti anche dalle rispettive rappresentanze dei lavoratori.

A tal fine, il Santo Padre ha approvato lo Statuto del Fondo, in allegato, istituendolo come un patrimonio destinato, con la finalità di erogare prestazioni di previdenza complementare in favore del personale dipendente che liberamente vi aderisce.

Il Santo Padre ha disposto che il presente *Rescriptum* e l'annesso Statuto siano pubblicati mediante affissione, per almeno trenta giorni consecutivi, nel cortile di San Damaso e presso le sedi dell'Ospedale, nonché pubblicati su *Acta Apostolicae Sedis*, entrando in vigore a decorrere dal 1° gennaio 2020.

Dal Vaticano, 22 luglio 2019

PIETRO Card. PAROLIN
Segretario di Stato di Sua Santità

FONDO PENSIONE PER IL PERSONALE DELL'OSPEDALE PEDIATRICO BAMBINO GESÙ

STATUTO

Art. 1 – Istituzione del Fondo

Il “Fondo pensione per il Personale dell'Ospedale Pediatrico Bambino Gesù”, di seguito per brevità “Fondo”, è istituito nell'ambito dell'Ospedale Pediatrico Bambino Gesù, di seguito per brevità “Ospedale”.

Art. 2 – Forma giuridica, scopo ed amministrazione del Fondo

1. Il Fondo è un patrimonio destinato, con la finalità di erogare prestazioni di previdenza complementare.

2. Il Fondo è amministrato mediante gli organi indicati nel presente Statuto ed è alimentato dai soggetti e con le modalità indicati nell'articolo 7 del presente Statuto.

Art. 3 – Regime della forma pensionistica

1. Il Fondo opera in regime di contribuzione definita.

2. L'entità delle prestazioni pensionistiche del Fondo è determinata in funzione della contribuzione effettuata e in base al principio della capitalizzazione.

Art. 4 – Iscritti

1. Possono essere iscritti al Fondo i lavoratori dipendenti dell'Ospedale appartenenti alla categoria del personale medico e assimilato, non medico, amministrativo, tecnico e infermieristico.

2. L'adesione è libera e volontaria e avviene con le modalità di cui al successivo articolo 25.

Art. 5 – Scelte di investimento

1. Il Fondo è strutturato in due comparti differenziati per profili di rischio e di rendimento, in modo tale da assicurare agli iscritti un'adeguata possibilità di scelta.

2. Con le modalità stabilite dal Comitato di Gestione, sono resi noti agli iscritti le caratteristiche dei comparti e i diversi profili di rischio e rendimento.

3. È previsto un comparto con linea di investimento tale da garantire almeno la restituzione del capitale versato.

4. L'iscritto, all'atto dell'adesione, sceglie di far confluire i versamenti contributivi in uno o più dei comparti esistenti. L'iscritto può successivamen-

te, con cadenza annuale, modificare l'allocazione della sua posizione individuale.

5. Con le modalità stabilite dal Comitato di Gestione, sono periodicamente resi noti agli iscritti i rendimenti, la politica di investimento, le tecniche di gestione del rischio utilizzate, nonché la ripartizione strategica delle attività.

Art. 6 – Spese

1. L'iscrizione al Fondo non comporta spese a carico degli iscritti.
2. Tutte le spese per la gestione del Fondo sono sostenute dall'Ospedale.

Art. 7 – Contribuzione

1. La contribuzione al Fondo avviene mediante il versamento:
 - a) del trattamento di fine rapporto maturando nel periodo di adesione;
 - b) del contributo a carico dell'Ospedale;
 - c) del contributo a carico degli iscritti.
2. La misura minima dei contributi a carico, rispettivamente, dell'Ospedale e degli iscritti, nonché le modalità e i termini di versamento, sono stabiliti dagli accordi stipulati tra l'Ospedale medesimo e i rappresentanti dei lavoratori.

4. L'adesione al Fondo determina l'integrale destinazione del trattamento di fine rapporto maturando.

5. Ciascun iscritto a proprio carico può effettuare versamenti volontari, aggiuntivi rispetto a quelli previsti ai commi precedenti.

Art. 8 – Determinazione della posizione individuale

1. La posizione individuale consiste nel capitale accumulato di pertinenza di ciascun iscritto, è alimentata dai contributi netti versati e dai versamenti effettuati per il reintegro delle anticipazioni percepite ed è ridotta da eventuali riscatti parziali e anticipazioni.

2. La posizione individuale viene rivalutata in base al rendimento del comparto al quale afferisce.

3. Agli iscritti verrà data comunicazione scritta circa la consistenza della propria posizione individuale e dei rendimenti ottenuti, entro il primo trimestre successivo alla chiusura di ciascun esercizio.

Art. 9 – Prestazioni pensionistiche

1. Il diritto alla prestazione pensionistica complementare si acquisisce al momento della maturazione dei requisiti di accesso alle prestazioni stabiliti nel regime obbligatorio di appartenenza dell'iscritto, con almeno cinque anni di partecipazione al Fondo e ferma la cessazione del rapporto di lavoro con l'Ospedale.

2. L'iscritto che matura il diritto alla prestazione pensionistica complementare ha diritto a una rendita certa della durata di 25 anni, calcolata in base all'entità della posizione individuale al momento della cessazione del rapporto con l'Ospedale. Tale rendita è erogata dal Fondo all'iscritto o ai suoi eredi ed è rivalutata tempo per tempo sulla base dei rendimenti registrati negli anni successivi alla richiesta di erogazione sulla posizione individuale che residua al netto dai costi di gestione.

3. In alternativa alla rendita anzidetta, l'iscritto ha facoltà di richiedere la liquidazione della prestazione pensionistica sotto forma di capitale.

4. È facoltà dell'avente diritto chiedere che la rendita sia erogata da una impresa di assicurazione con cui il Fondo stipula apposita convenzione.

Art. 10 – Riscatto della posizione individuale

1. L'iscritto che perde i requisiti di partecipazione prima del pensionamento ha diritto al riscatto integrale della posizione individuale maturata al momento della cessazione del rapporto di lavoro con l'Ospedale.

2. In caso di decesso dell'iscritto prima della fruizione della prestazione pensionistica la posizione individuale è riscattata dai suoi eredi ovvero dai diversi beneficiari designati dallo stesso iscritto, siano essi persone fisiche o

giuridiche. In mancanza di tali soggetti la posizione individuale è destinata dal Comitato di Gestione ad attività benefiche o assistenziali.

3. L'Ospedale provvede agli adempimenti conseguenti all'esercizio del riscatto da parte dell'iscritto con tempestività e comunque entro il termine massimo di 60 giorni dalla richiesta dell'iscritto o degli aventi diritto. L'importo oggetto di riscatto è quello risultante al primo giorno di valorizzazione utile successivo a quello in cui il Fondo ha verificato la sussistenza delle condizioni che danno diritto al riscatto.

4. Il riscatto totale comporta la cessazione della partecipazione al Fondo.

Art. 11 - Anticipazioni

1. L'iscritto può conseguire un'anticipazione della posizione individuale maturata nei casi e nei limiti che seguono:

- a) in qualsiasi momento, per un importo non superiore al 75 per cento, per spese sanitarie conseguenti a situazioni gravissime attinenti a sé, al coniuge o ai figli, per terapie e interventi straordinari riconosciuti dalle competenti strutture pubbliche;
- b) decorsi otto anni di iscrizione, per un importo non superiore al 75 per cento, per l'acquisto della prima casa di abitazione per sé o per i figli o per la realizzazione, sulla prima casa di abitazione, degli interventi di manutenzione ordinaria, straordinaria, di restauro e di risanamento conservativo, di ristrutturazione edilizia.
- c) decorsi otto anni di iscrizione, per un importo non superiore al 30 per cento, per la soddisfazione di ulteriori esigenze proprie o della famiglia.

2. Le disposizioni che specificano i casi e regolano le modalità operative in materia di anticipazioni sono riportate nel Regolamento adottato dal Comitato di Gestione.

3. Le somme complessivamente percepite a titolo di anticipazione non possono eccedere il 75 per cento della posizione individuale maturata, al lordo delle anticipazioni percepite e non reintegrate.

4. Ai fini della determinazione dell'anzianità necessaria per esercitare il diritto all'anticipazione sono convenzionalmente considerati utili anche i pe-

riodi di iscrizione al Fondo per i lavoratori dell'Ospedale, per i quali l'iscritto non abbia esercitato il diritto di riscatto totale della posizione individuale.

5. Le somme percepite a titolo di anticipazione possono essere reintegrate, a scelta dell'iscritto, in qualsiasi momento e secondo le modalità indicate nel Regolamento di cui al comma 2 che precede.

6. Il Comitato di Gestione può prevedere nuove e diverse ipotesi di anticipazioni.

Art. 12 – Organi del Fondo

Sono organi del Fondo:

- il Presidente;
- il Comitato di Gestione;
- il Revisore.

Art. 13 – Presidente

1. Il Presidente del Fondo è nominato e revocato dal Segretario di Stato e presiede il Comitato di Gestione.

2. Il Presidente:

- a) sovrintende al funzionamento del Fondo;
- b) convoca e presiede le sedute del Comitato di Gestione, di cui è componente di diritto;
- c) cura i rapporti con gli organismi esterni e di vigilanza, con l'assistenza del Direttore del Fondo;
- d) svolge ogni altro compito attribuitogli dal presente Statuto o dal Comitato di Gestione.

3. In caso di assenza o di impedimento, il Presidente è sostituito dal membro più anziano del Comitato di Gestione.

4. Il Presidente deve possedere i requisiti di competenza e onorabilità e non incorrere in cause di ineleggibilità e incompatibilità, come definiti dalla normativa vigente.

5. La perdita dei requisiti di onorabilità o il sopravvenire di situazioni di incompatibilità, comportano la decadenza dalla carica dal primo giorno del

mese successivo all'evento. In tale ipotesi, il Comitato di Gestione è presieduto dal membro più anziano fino a nuova nomina.

Art. 14 – Comitato di Gestione

1. Il Fondo è amministrato da un Comitato di Gestione, presieduto dal Presidente e costituito da altri dieci membri nominati dal Segretario di Stato: cinque su proposta del Consiglio di Amministrazione dell'Ospedale e cinque su proposta dei rappresentanti dei lavoratori.

2. I componenti del Comitato di Gestione possono essere nominati anche tra soggetti non iscritti al Fondo.

3. I componenti del Comitato di Gestione devono possedere i requisiti di competenza e onorabilità e non incorrere in cause di ineleggibilità e incompatibilità, come definiti dalla normativa vigente.

4. I componenti del Comitato di Gestione, compreso il Presidente, durano in carica per tre esercizi e scadono alla data di approvazione del bilancio relativo all'ultimo esercizio. Essi possono essere riconfermati nell'incarico.

5. La perdita dei requisiti di onorabilità o il sopravvenire di situazioni di incompatibilità, comportano la decadenza dalla carica di componente del Comitato di Gestione, dal primo giorno del mese successivo all'evento.

6. Alle riunioni del Comitato di Gestione hanno diritto di partecipare, senza diritto di voto, il Presidente dell'Ospedale, il Direttore Generale dell'Ospedale e il Revisore del Fondo.

7. Qualora nel corso del mandato uno o più membri del Comitato di Gestione dovessero cessare dall'incarico per qualsiasi motivo:

- a) se trattasi di un componente nominato su indicazione dell'Ospedale, quest'ultimo deve provvedere ad indicare il suo sostituto;
- b) se trattasi di un componente nominato su indicazione della rappresentanza dei lavoratori, quest'ultima deve provvedere ad indicare il suo sostituto.

8. I componenti del Comitato di Gestione nominati ai sensi del comma precedente decadono insieme a quelli in carica all'atto della loro nomina.

9. Qualora prima della naturale scadenza del mandato venissero a cessare tutti i componenti del Comitato di Gestione, gli atti di ordinaria amministrazione sono di competenza del Presidente uscente o, in mancanza, del Presidente dell'Ospedale.

Art. 15 – Attribuzioni del Comitato di Gestione

1. Al Comitato di Gestione sono attribuiti tutti i poteri di ordinaria e straordinaria amministrazione per l'attuazione di quanto previsto dal presente Statuto.

2. In particolare, spetta al Comitato di Gestione:

- a) redigere e approvare il bilancio annuale del Fondo e la relativa relazione entro il 30 giugno di ciascun anno;
- b) su proposta del Revisore, conferire l'incarico di revisione legale dei conti ad una società di revisione abilitata determinando il corrispettivo spettante alla predetta società per l'intera durata dell'incarico;
- c) decidere criteri e modalità per gli impieghi del Fondo nel rispetto della normativa vigente, anche attraverso la selezione di fornitori di servizi esterni;
- d) fornire indicazioni circa la stipula degli atti relativi alle convenzioni con i soggetti gestori;
- e) fornire ai soggetti gestori indirizzi sugli impieghi dei contributi versati al Fondo;
- f) deliberare in ordine alle richieste di anticipazioni, secondo le modalità disciplinate dal Regolamento;
- g) conferire l'incarico di Direttore del Fondo;
- h) adottare iniziative per il corretto svolgimento del rapporto con gli iscritti;
- i) deliberare in ordine ai ricorsi presentati dagli iscritti.

3. È facoltà del Comitato di Gestione dotarsi di un apposito Regolamento.

4. Il Comitato di Gestione nomina un Segretario, che può anche non essere componente dello stesso.

5. Il Comitato di Gestione, nel rispetto di modalità e di procedure che garantiscano la trasparenza del procedimento, può valutare la nomina di un

Consulente finanziario, scelto tra soggetti differenti da quelli a cui sono conferiti gli incarichi di gestione di cui all'articolo 21.

6. Il Consulente finanziario, ove nominato, assiste il Comitato di Gestione nell'individuazione dell'assetto della politica d'investimento del Fondo, in particolare, in relazione:

- all'identificazione della distribuzione strategica delle risorse disponibili fra le varie attività d'investimento;
- alla definizione delle linee guida agli investimenti da assegnare ai gestori e alla costruzione del sistema di valutazione e controllo delle performance dei gestori;
- alla valutazione della distribuzione strategica delle risorse fra le varie attività d'investimento tattiche poste in essere dai diversi gestori nei singoli mandati.

7. Il Comitato di Gestione, nel rispetto di modalità e di procedure che garantiscano la trasparenza del procedimento, può valutare la nomina di un Controllore della gestione finanziaria, scelto tra soggetti differenti da quelli a cui sono conferiti gli incarichi di gestione di cui all'articolo 21.

8. Il Controllore della gestione finanziaria, ove nominato, assiste il Comitato di Gestione nella verifica dei risultati dell'attività svolta dai gestori rispetto ai singoli mandati conferiti.

Art. 16 – Funzionamento del Comitato di Gestione

1. Le convocazioni del Comitato di Gestione sono effettuate dal Presidente per iscritto, anche mediante posta elettronica, salvo i casi di particolare urgenza, con almeno tre giorni di preavviso, indicando la data, l'ora e il luogo della seduta e gli argomenti all'ordine del giorno.

2. Il Comitato di Gestione si riunisce almeno una volta all'anno, nonché tutte le volte che il Presidente ritenga opportuno convocarlo o quando la convocazione venga richiesta dalla maggioranza dei suoi componenti o dal Revisore.

3. Il Comitato di Gestione è validamente costituito con la presenza effettiva della maggioranza dei suoi componenti e delibera a maggioranza dei

voti. In caso di parità di voto, prevale il voto del Presidente del Comitato di Gestione.

4. Il Revisore ha diritto di partecipare, senza diritto di voto, alle riunioni del Comitato di Gestione.

5. Delle sedute del Comitato di Gestione è redatto, su apposito libro, il relativo verbale che dovrà essere firmato dal Presidente, dal Revisore e dal Segretario.

6. Le sedute del Comitato di Gestione possono svolgersi anche in tele o video conferenza, con l'ausilio delle relative tecnologie. In tal caso, i membri potranno collegarsi in tele o video conferenza con il luogo in cui la riunione si svolge, che è quello dove si trova il Presidente, che nomina anche il Segretario, risultante dall'avviso di cui al comma 1 del presente articolo.

Art. 17 – Direttore del Fondo

1. Il Direttore del Fondo è nominato dal Comitato di Gestione anche tra soggetti non iscritti al Fondo.

2. Il Direttore del Fondo deve possedere i requisiti di competenza e non incorrere in cause di ineleggibilità e incompatibilità, come definiti dalla normativa vigente. La mancanza di tali requisiti, anche se sopravvenuti, comporta la decadenza dalla carica.

3. Il Direttore del Fondo svolge la propria attività in maniera autonoma e indipendente e riferisce direttamente al Comitato di Gestione sui risultati della propria attività.

Art. 18 – Attribuzioni del Direttore

1. Spetta, in particolare, al Direttore del Fondo:

- a) provvedere all'esecuzione delle deliberazioni assunte dal Comitato di Gestione;
- b) vigilare sulla corretta gestione del Fondo nell'esclusivo interesse degli iscritti, nel rispetto delle disposizioni del presente Statuto e della normativa vigente;
- c) vigilare sulle operazioni in conflitto di interesse e sull'adozione di prassi operative idonee a tutelare al meglio gli interessi degli iscritti;

- d) curare, anche attraverso la predisposizione di un apposito Registro, l'istruttoria dei reclami, che saranno decisi dal Comitato di Gestione;
- e) curare ogni attività inerente la gestione amministrativa del Fondo, ai sensi dell'art. 23.

Art. 19 – Revisore

1. Il Revisore è nominato dal Segretario di Stato, sentita la Segreteria per l'Economia, tra soggetti in possesso dei requisiti di competenza e onorabilità, come definiti dalla normativa vigente.

2. Il Revisore dura in carica per massimo di tre esercizi, scade alla data di approvazione del bilancio relativo all'ultimo esercizio e può essere riconfermato nell'incarico.

3. Il Revisore vigila sull'osservanza della normativa vigente e dello Statuto, sul rispetto dei principi di corretta amministrazione e, in particolare, sull'adeguatezza dell'assetto organizzativo, amministrativo e contabile adottato dal Fondo e sul suo corretto funzionamento. Per l'espletamento dei suoi compiti il Revisore scambia tempestivamente le informazioni rilevanti con il Direttore del Fondo e con la società incaricata della revisione legale dei conti.

4. Il Revisore deve adempiere ai propri doveri con la professionalità e la diligenza richieste dalla natura dell'incarico, è responsabile della verità delle attestazioni e deve conservare il segreto sui fatti e sui documenti di cui ha conoscenza per ragione dell'ufficio.

5. Il Revisore partecipa, senza diritto di voto, alle riunioni del Comitato di Gestione.

6. Al Revisore spetta:

- a) verificare, nel corso dell'esercizio e con periodicità almeno semestrale, la regolare tenuta della contabilità del Fondo e la corretta rilevazione nelle scritture contabili dei fatti di gestione;
- b) verificare che il bilancio di esercizio corrisponda alle risultanze delle scritture contabili e degli accertamenti eseguiti e che sia conforme alle norme che lo disciplinano;

c) esprimere, con apposita relazione, un giudizio sul bilancio di esercizio, di cui il Comitato di Gestione prende atto prima dell'approvazione del bilancio.

Art. 20 – Revisione legale dei conti

1. L'incarico di revisore legale dei conti è affidato dal Comitato di Gestione ad una società di revisione abilitata, per una durata pari a tre esercizi, con scadenza alla data di approvazione del bilancio relativo al terzo esercizio dell'incarico.

2. Nel corso dell'esercizio e con periodicità almeno semestrale, la società di revisione legale dei conti verifica, anche mediante scambio di informazioni con gli organi del Fondo e con il Revisore, la regolare tenuta della contabilità del Fondo e la corretta rilevazione nelle scritture contabili dei fatti di gestione.

3. La società di revisione legale dei conti verifica altresì che il rendiconto del Fondo corrisponda alle risultanze delle scritture contabili e degli accertamenti eseguiti e che sia conforme alle norme che lo disciplinano, esprimendo con apposita relazione un giudizio sul bilancio di esercizio.

Art. 21 – Incarichi di gestione

1. Le risorse finanziarie del Fondo sono gestite mediante convenzione con soggetti gestori abilitati ai sensi della normativa applicabile, tenendo conto delle raccomandazioni del Consulente finanziario, ove nominato.

2. I soggetti gestori agiranno in coerenza con gli obiettivi e le modalità gestionali indicati dal Comitato di Gestione.

3. Le convenzioni di gestione sono stipulate dal Presidente dell'Ospedale, su indicazione del Comitato di Gestione.

4. Il Comitato di Gestione definisce altresì i contenuti delle convenzioni di gestione, nel rispetto delle delibere assunte in materia di politiche di investimento, nonché delle previsioni di cui al presente Statuto e della normativa applicabile.

5. Il Comitato di Gestione, con l'assistenza, ove nominato, del Controllore della Gestione Finanziaria, verifica i risultati conseguiti dai gestori sulla base di parametri oggettivi e confrontabili.

Art. 22 – Istituto depositario

Tutte le risorse del Fondo sono depositate presso l'Istituto per le Opere di Religione, che svolge la funzione di Istituto depositario.

Art. 23 – Gestione amministrativa

1. Salvo quanto previsto dal successivo comma 3, il Direttore del Fondo cura ogni attività inerente la gestione amministrativa.

2. In particolare, al Direttore del Fondo compete:

- a) la tenuta dei rapporti con l'Istituto depositario e con i soggetti gestori;
- b) la tenuta della contabilità;
- c) la raccolta e gestione delle adesioni;
- d) la verifica delle posizioni contributive individuali degli iscritti;
- e) la gestione delle prestazioni;
- f) la predisposizione della documentazione da inviare alle autorità di controllo;
- g) la predisposizione della modulistica e delle note informative, della rendicontazione e delle comunicazioni periodiche agli iscritti;
- h) ogni altro adempimento previsto dal presente Statuto.

3. Il Comitato di Gestione può valutare di affidare in tutto o in parte tali attività, mediante apposita convenzione per la fornitura di servizi amministrativi, a soggetti terzi scelti dallo stesso Comitato sulla base di criteri di affidabilità, esperienza e professionalità.

Art. 24 – Esercizio sociale e bilancio d'esercizio

1. L'esercizio sociale inizia il 1° gennaio e si chiude il 31 dicembre di ogni anno.

2. Il Fondo, operando con separata gestione amministrativo-contabile, redige un proprio bilancio, allegato a quello dell'Ospedale.

3. Entro il 30 giugno di ogni anno il Comitato di Gestione approva il rendiconto consuntivo dell'esercizio precedente. Il bilancio è accompagnato dalla relazione generale e dalla relazione della società incaricata della revisione legale dei conti.

4. Il rendiconto, le relazioni del Comitato di Gestione e della società incaricata della revisione legale dei conti sono depositate in copia presso la sede del Fondo, affinché gli iscritti possano prenderne visione.

Art. 25 – Modalità di adesione e diritti degli iscritti

1. L'adesione al Fondo avviene mediante presentazione di apposito modulo di adesione, sottoscritto e compilato in ogni sua parte.

2. All'atto dell'adesione il Fondo verifica la sussistenza dei requisiti di partecipazione.

3. L'iscritto è responsabile della completezza e veridicità delle informazioni fornite al Fondo.

4. La domanda di adesione è presentata dall'interessato direttamente o per il tramite dell'ufficio del personale dell'Ospedale. Essa contiene la delega all'Ospedale per la trattenuta della contribuzione a carico dell'aderente.

5. Il rapporto dell'iscritto con il Fondo si costituisce dal primo giorno del mese successivo a quello in cui la domanda di adesione è pervenuta all'Ospedale.

6. È ammessa l'adesione su base collettiva nel caso di confluenza al Fondo di forme pensionistiche complementari preesistenti.

7. In caso di sospensione del rapporto di lavoro per qualsiasi causa, permane in capo al lavoratore iscritto la condizione di associato. L'obbligo contributivo a carico del datore di lavoro e del lavoratore è rapportato al trattamento retributivo eventualmente spettante al lavoratore.

8. In caso di assenza di trattamento retributivo, è fatta salva la possibilità per il lavoratore iscritto di continuare ad effettuare il versamento volontario dei contributi a proprio carico. Modalità ulteriori di adempimento dell'obbligazione contributiva possono essere definite dal Comitato di Gestione.

Art. 26 – Trasparenza

1. Il Fondo mette a disposizione degli iscritti lo Statuto del Fondo, il bilancio e i documenti ad esso allegati, il Regolamento e tutte le altre informa-

zioni utili all'iscritto, secondo quanto previsto dalle disposizioni applicabili in materia.

2. Agli iscritti viene inviata annualmente una comunicazione contenente informazioni sulla propria posizione individuale e sull'andamento della gestione.

3. Con la modalità stabilita dal Comitato di Gestione, sono periodicamente rese note agli iscritti la politica di investimento, i rendimenti, le tecniche di gestione del rischio utilizzate, nonché la ripartizione strategica delle attività.

Art. 27 – Estinzione del fondo e modalità di liquidazione del patrimonio

1. Il Fondo si estingue in caso di sopravvenienza di situazioni o di eventi che rendano impossibile lo scopo ovvero il suo funzionamento.

2. In caso di liquidazione, il Sommo Pontefice nomina uno o più liquidatori, anche fra i membri del Comitato di Gestione, determinandone i relativi poteri.

Art. 28 – Clausola di Rinvio

1. Per quanto non previsto dal presente Statuto, si applicano le disposizioni del diritto canonico e dell'ordinamento vaticano, incluse le disposizioni speciali in materia di vigilanza prudenziale.

2. Il Fondo è iscritto nell'elenco di cui all'articolo 1 §1 dello Statuto del Consiglio per l'Economia ed è sottoposto alla vigilanza, al controllo e alla verifica del rispetto della normativa vigente operati dalla Segreteria per l'Economia.

ACTA CONGREGATIONUM

CONGREGATIO DE CAUSIS SANCTORUM

SANCTISSIMAE ASSUMPTIONIS

Beatificationis et Canonizationis Ven. Servae Dei Mariae Feliciae a Iesu Sacramentato (in saeculo: Mariae Feliciae Guggiari Echeverría), Sororis professae Ordinis Carmelitarum Discalceatorum (1925-1959)

DECRETUM SUPER MIRACULO

Venerabilis Serva Dei Maria Felicia a Iesu Sacramentato (in saeculo: Maria Felicia Guggiari Echeverría) die 12 mensis Ianuarii anno 1925 Villae Divitis in Paraguaia nata est. Prima septem filiorum fuit. Sacro fonte tertio anno aetatis suae lustrata est. Sua in adolescentia Actioni Catholicae interfuit et operam dedit apostolatui exercendo. Politicae vicissitudines eius nationis, quae laborabatur inter liberales postulationes et reditus dictatorios, suam etiam familiam turbaverunt, quae ad Assumptionopolim sedem mutavit. Illic Serva Dei operam suam magistrae munere impendere inchoavit. Vehementissima inquisitio vocationalis eam perduxit ad propositum se Domino omnino consecrandi; hac re, Assumptionopolis coenobium Carmelitarum ingressa est. Ex inde secretissime in monasterio vixit, tota in oratione et in contemplatione defixa suamque quidem vitam pro sacerdotibus offerendo. Anno 1955 monastica veste induit et sequenti anno professionem votorum ad tempus emisit. Magnae animi angustiae tempestatem experimentavit, quod ei fere fuit "*obscurissima nox*", quae tamen eius fidem et desiderium Deo totaliter se offerendi firmiter corroboravit. Eius quidem valetudo gradatim infirmabatur, maxime cum hepatitide infectiva correpta esset. Serva Dei eo magis fervidiore modo Christi passioni particeps fuit et huic mundo lumina die 28 mensis Aprilis anno 1958 clausit. Summus Pontifex Benedictus XVI anno 2010 heroicis virtutes eius agnovit.

Inspiciens Beatificationem, Causae Postulatio iudicio huius Congregationis de Causis Sanctorum miram quandam pueri nuper nati sanationem

subiecit, quae Novae Germaniae in Paraguaia anno 2002 evenerat. Puer parentium surdorum ac mutorum filius, die 15 mensis Augusti eiusdem anni per urgentem caesaream operationem natus erat quibusdam cum functionum vitiis scilicet epidermidis squamatione in nonnullis corporis partibus, cyanosi diffusa, musculorum hypotonia, funiculi umbilicalis circa collum adstrictione, cordis pulsationum absentia. Puer omnino ater videbatur. Ante hanc clinicam difficilem ambagem necessarium fuit respirationem artificialem adhibere necnon cordis sollicitationem, quae omnia fere nullum effectum contigerunt. Res enim paucis momentis temporis in peius ruit. Praeterea etiam quaedam instrumenta adhibenda illis in necessitatibus inabilia comperta sunt, quare amplius moratum est cum impedimento in conatu redanimationis. Pueri totum corpus ad viridem colorem inductum est.

Illis in adiunctis quaedam aegrotorum ministra valde devota Venerabili Servae Dei eidem suam intendit invocationem ut puer sanaretur. Statim post vix dimidiam partem horae in puero prima inventa sunt signa redintegrationis functionis tam cordis quam pulmonum eo ut puer amplius in curationes progredi posset et post quattuordecim dies e valetudinario bona valetudine demitteretur. Sicut etiam sequentes clinicae inquisitiones confirmaverunt puer omnino sanatus evasit et ad naturalem progressionem vitae rediit, quamvis parentalia adiuncta ei stimulos ad locutionem aptos admovere non valerent.

Evidens est concursus temporis et consequentia inter Venerabilis invocationem et pueri sanationem, quae deinceps naturali socialique vita pollens sanus fuit.

De hac sanatione mira aestimata iuxta Curiam Ecclesiasticam Sanctissimae Assumptionis a die 19 mensis Aprilis anno 2005 ad diem 27 mensis Aprilis anno 2007 Inquisitio dioecesana celebrata est, cuius iuridica validitas ab hac Congregatione de Causis Sanctorum per Decretum diei 28 mensis Octobris anno 2011 est approbata. Medicorum Consilium huius Dicasterii in sessione diei 1 mensis Iunii anno 2017 declaravit sanationem celerem, perfectam, constantem et ex scientiae legibus inexplicabilem fuisse. Die 30 mensis Novembris anno 2017 Congressus Peculiaris Theologorum Consultorum, positivo cum exitu, auctus est. Die 9 mensis Ianuarii anno 2018 Patres Cardinales et Episcopi Ordinaria in Sessione congregati, cui egomet ipse Angelus Cardinalis Amatus praefui. Et in utroque Coetu, sive Consultorum sive Cardinalium et Episcoporum, posito dubio an de miraculo divinitus patrato constaret, responsum affirmativum prolatum est.

Facta demum de hisce omnibus rebus Summo Pontifici Francisco per subscriptum Cardinalem Praefectum accurata relatione, Sanctitas Sua, vota Congregationis de Causis Sanctorum excipiens rataque habens, hodierno die declaravit: *Constare de miraculo a Deo patrato per intercessionem Venerabilis Servae Dei Mariae Feliciae a Iesu Sacramentato (in saeculo: Mariae Feliciae Guggiari Echeverría), Sororis Professae Ordinis Carmelitarum Discalceatorum, videlicet de celeri, perfecta ac constanti sanatione cuiusdam pueri modo nati a “grave e protratta asfissia peri-natale”.*

Hoc autem decretum publici iuris fieri et in acta Congregationis de Causis Sanctorum Summus Pontifex referri mandavit.

Datum Romae, die 6 mensis Martii a.D. 2018.

ANGELUS CARD. AMATO, S.D.B.
Praefectus

L. ☩ S.

☩ MARCELLUS BARTOLUCCI
Archiep. tit. Mevaniensis, *a Secretis*

MEDIOLANENSIS seu BERGOMENSIS

Beatificationis et Canonizationis Servi Dei Caecilii Mariae Cortinovis (in saeculo: Antonii Petri), Religiosi professi Ordinis Fratrum Minorum Capuccinorum (1885-1984)

DECRETUM SUPER VIRTUTIBUS

«Amen dico vobis: Quamdiu fecistis uni de his fratribus meis minimis, mihi fecistis» (*Mt 25, 40*).

Secretum virtuosae vitae Servi Dei Caecilii Mariae Cortinovis (in saeculo: Antonii Petri) est in eo, quod funditus perspexerat, ad alterum iuvandum oportere primum se ipsum omnino mergere fere evanescente Dei in amore, qui a Iesu Christo in Eucharistia praesente ostenditur. Haec fides ac spes singulos gressus suae vitae duxerunt.

Servus Dei in pago v.d. *Nespello* Costae Vallis Serinae Bergomensi in provincia die 7 mensis Novembris anno 1885 a Laurentio et Angela Gherardi septimus novem filiorum natus est et sequenti die sacro fonte Antonii Petri nomine lustratus. Feliciter pueritiam degit sobrietatis ac dignitatis vitam agens sua agricolarum quibusdam praediis munitorum in familia christianis ac industriosis moribus exornata. Adhuc adolescens Antonius Petrus operam suam rusticis ac pastoralibus operibus tradebat sic rebus familiaribus subsidium suum conferens. Sub materno regimine christiana pietate crebuit pagique autem ludum frequentando legere ac scribere valide didicit. Die 7 mensis Aprilis anno 1896 primitus ad sacram mensam eucharisticam accessit et quarto decimo aetatis suae anno in Tertium Ordinem Sancti Francisci receptus est.

Asperis in operibus in silvis, pascuis ac in armentis custodiendis suos primos viginti et duos annos vitae consumpsit semper tamen in corde servans illam vocationem se Deo consecrandi, quae magis magisque animo in suo aucta est. Parochi loci consilio, ingredi vitam religiosam secundum disciplinam Capuccinorum exoptavit et anno 1908 ad pagi Loveri coenobium, ubi Ordinis noviciatus habebatur, pervenit. Illic Fratrum Minorum Capuccinorum vestem induit et nomen ei impositum est Caecilius Maria. Ipse maluit frater esse laicus non ut studia vitaret sed potius ad humilitatem sectandam. Die 2 mensis Augusti anno 1909 religiosam professionem emisit. Deinde reliquit Loverum et Albini ad coenobium ivit. Exhinc missus

est ad Cremonam et denique ad Mediolanense coenobium Montis Fortis, in quo Minister Provincialis residebat.

Eius primum munus illa nova in sedi fuit locorum communium curatoris, infirmorum ministri et denique adiutoris sacristae. Hoc ultimum munus ei permisit ut diuturne in ecclesia commoraretur: tabernaculum ei factum est, uti in diario scripserat, verus liber. Aprili in mense anno 1914 cerebri membranae inflammatione correptus est et de eius sanatione admodum formidabatur. Hoc in tempore spiritualem vehementissimam habuit experientiam, quae ei propitium Dei iudicium extremo in exitu venturo ostendit: hoc semper sua in memoria vivide retinetur. Sanatus est sed interea primum mundanum exarsit bellum.

Servus Dei in V regimento Alpinorum militum iuxta Tiranum conscriptus est. Longis in itineribus et in exercitationibus eius cor laborem non sustinuit et Mediolanum missus est, ubi die 2 mensis Februarii anno 1918 sollemniter religiosam emisit professionem.

Propter bellum magnum fuit incrementum pauperum, pro quibus coenobii porta cito evenit locus conveniendi. Frater Caecilius Maria ianuator nominatus est, quo officio usque ad annum 1970 functus est. Hoc munere implendo frater Servum Dei Marcellum Candia cognovit, ille Mediolanensis machinalis industriae ergolabus, qui omnia bona sua reliquit ut Brasiliam proficisceret ad leprosos ministrandos. Hac re Servus Dei simplicitate affirmabat se didicisse pauperibus ministare ad scholam fratris Caecilii Mariae.

Anno 1925, cum mortem fratris Danielis a Samarate, sacerdotis ex Ordine Fratrum Minorum Capuccinorum missionarii in Brasilia, leprosi ac leprosum apostoli cognovisset, Servus Dei a superioribus postulavit ut missionarius proficisceretur ad leprosos ministrandos. Anno 1929 tamen haec postulatio rursus iterata est et accommodata ut ei numquam assentita erit. Illis annis cum septingentesimus annus e morte sancti Francisci Assisiensis celebraretur, frater Caecilius Maria Mediolani ad erectionem monumenti Pauperculo Assisiensi se contulit, stipem rogando ad omnem portam et ad omne palatium. Aeneum simulacrum in vultu Servi Dei lineamenta repetit.

Cum secundum mundanum bellum exarsit, frater Caecilius Maria, sic sub globis incendiariis, duorum coenobiorum, quae omnino ex stipis rogatione pendebant, ex ostio non discessit, ut necessitates multarum personarum, quae omnibus rebus indigebant, sed maxime vitam suam periclitaretur, cum Hebraeos vel inquisitos a militia fascismi occultaret. Germanorum turmae

praesidialis v.d. SS militum inquisitiones saepissime avertit, maxime postquam confrater adprehensus erat et in campos ad captivos custodiendos, falso crimine documenta Iudaeis suppeditandi accusatus, deductus erat. Suis pauperibus cum oppidi Praefectus Servi Dei caritatem cognosceret, concessit ut panis, oryzae et pastae partes amplius assignarentur.

Posito bello, frater Caecilius Maria pauperes diutius excipere voluisset. Eius desiderium exauditum est et anno 1959 domus dicta *Opera Sancti Francisci* orta est.

Servus Dei unquam caritatis curam neglexit sed e materiali ad spiritualem suum ministerium evexit. Cotidie commorando circa Virginis simulacrum, personas ex omni sociali genere excipiebat, aerumnas eorum audiendo simplicibus ac apertis verbis pacem et consolationem praebuit. Die 19 mensis Octobris anno 1982, cum eius valetudo ingravesceret, fratres eum ad Bergamum apud Fratrum Capuccinorum valetudinarium traduxerunt. Etiam illic quoad potuit personas consolationis spiritualis indigentes recepit. Servus Dei omnem personam, omne factum, eventum, vel necessitatem omnimodam secundum illam divinam lucem recapitulabat, quae in illo amoris mysterio est Eucharistia et quae ad illam fidem, caritatem et mansuetudinem eum impellebat, quae sola consentaneam ac aptam responsionem vel consolationem exoptatam praebere valebat.

Frater Caecilius Maria die 10 mensis Aprilis anno 1984 pie mortali e vita excessit. Exequiis sollemnibus coenobii Mediolanensis-Montis Fortis in ecclesia celebratis iuxta maius Mediolanense coemeterium conditus est. A die autem 31 mensis Ianuarii anno 1989 in ecclesia Mediolanensi Montis Fortis prope Operam suam requiescit.

Fama sanctitatis a die 27 mensis Septembris anno 1984 ad diem 10 mensis Aprilis anno 1995 iuxta Curiam Archiepiscopalem Mediolanensem Inquisitio dioecesana celebrata est, cuius iuridica validitas ab hac Congregatione de Causis Sanctorum per Decretum diei 22 mensis Martii anno 1996 est approbata. Exarata *Positione*, consuetas secundum normas disceptatum est an Servus Dei heroum in gradum virtutes excoluisset. Positivo cum exitu, die 2 mensis Maii anno 2017 Peculiaris Consultorum Theologorum Congressus habitus est. Patres Cardinales et Episcopi Ordinaria Sessione diei 27 mensis Februarii anno 2018 congregati, cui egomet ipse Angelus Cardinalis Amato praefui, agnoverunt Servum Dei heroicum in gradum virtutes theologales, cardinales et adnexas exercuisse.

Facta demum de hisce omnibus rebus Summo Pontifici Francisco per subscriptum Cardinalem Praefectum accurata relatione, Sanctitas Sua, vota Congregationis de Causis Sanctorum excipiens rataque habens, hodierno die declaravit: *Constare de virtutibus theologalibus Fide, Spe et Caritate tum in Deum tum in proximum, necnon de cardinalibus Prudentia, Iustitia, Temperantia et Fortitudine, iisque adnexis, in gradu heroico, Servi Dei Caecilii Mariae Cortinovis (in saeculo: Antonii Petri), Religiosi professi Ordinis Fratrum Minorum Capuccinorum, in casu et ad effectum de quo agitur.*

Hoc autem decretum publici iuris fieri et in acta Congregationis de Causis Sanctorum Summus Pontifex referri mandavit.

Datum Romae, die 6 mensis Martii a.D. 2018.

ANGELUS CARD. AMATO, S.D.B.
Praefectus

L. ☩ S.

☩ MARCELLUS BARTOLUCCI
Archiep. tit. Mevaniensis, *a Secretis*

ALBANENSIS

Beatificationis et Canonizationis Servae Dei Mariae Antonillae Bordoni, Christifidelis Laicae e Tertio Ordine Sancti Dominici, Fundatricis Fraternitatis Laicalis Parvularum Filiarum Matris Dei nunc Parvularum Filiarum Matris Dei (1916-1978)

DECRETUM SUPER VIRTUTIBUS

«Nunc gaudeo in passionibus pro vobis et adimpleo ea quae desunt passionum Christi in carne mea pro corpore eius, quod est ecclesia» (*Col 1, 24*).

Serva Dei Maria Antonilla Bordoni, cum voluisset divinis propositis omnino respondere, sui ipsius de possessione se abstinuit et Christi passioni se adiunxit ut grata fieret oblatio pro mundi salute.

Serva Dei die 13 mensis Octobris anno 1916 Aretii nata, sequenti die 5 mensis Novembris sacro fonte lustrata est. Anno 1918 Genatianum prope Romam una cum familia se transtulit. Octavo anno aetatis suae acuta peritonite correpta est, sed, secundum matris testimonium, inexplicabili modo sanata fuit. Die 6 mensis Maii anno 1927 primitus ad sanctam communionem eucharisticam accessit. Post aliquod temporis intervallum Praeneste transactum ubique primum annum magistralium scholarum incepit, anno 1933 Romam una cum familia sua petiit et frequentare incohavit paroeciam Sancti Eusebii. Expleta religiosa initiatione christiana et die 5 mensis Maii anno 1933 confirmatione accepta, omnino ad religiosam vitam in mundo se contulit, participans profundo animo mysterium oblationis sacerdotalis victimae Iesu.

Die 21 mensis Ianuarii anno 1936 virginitatis votum et die 17 mensis Octobris 1937 vota paupertatis, castitatis et oboedientiae nuncupavit. Operam suam uti mercatoris adiutrix dabat in taberna textilium ibique serietate ac peritia eminuit; tamen locum illum reliquit cum domini filius eam molestia afficeret.

Die 11 mensis Februarii anno 1938 ingressa est coetum "*Animarum Sacerdotalium*". Maria Antonilla cupiebat se offerre tamquam sacrificalem victimam pro animis, maxime sacerdotum; aptum igitur emisit votum die 24 mensis Iunii anno 1938 et die 16 mensis Iunii anno 1939 Domino definitive perpetuis privatis votis cum spiritu "*sacerdotali*" se dicavit.

Praeter altam vitam spiritualem, vehementissimae caritatis operibus pro pauperibus assidue se tradebat. Electa est etiam praeses Actionis Catholicae

mulierum. Illis in annis incepterunt manifestari in ea mysticae experientiae, quas Serva Dei numquam ostentavit. Anno 1941 coetus “*Animarum Sacerdotalium*” nomen suscepit: “*Parva Opera Mater Dei*”.

Anno 1946 Parvulae Filiae fundaverunt Coloniam Paroecialem “*Mater Dei*” pro pauperibus pueris. Coetus solutus est sed paucos post menses alter ortus est: “*Parva Opera Mater Dei*” anno 1948 vitae communis indole constituta est, cuius Serva Dei erat Fundatrix. Eius vitae modus attrahebat novas vocationes, quae operam suam praestabant in curam puerorum egenorum, qui Domu recepti erant, novae autem sedes ad apostolatam diffundendum apertae sunt in paroeciis multarum dioecesium Italicarum. Anno 1961 Opera agnita est veluti fraternitas laicalis Tertii Ordinis Saecularis Sancti Dominici.

Servae Dei valetudo gradatim in peius incepit se declinare, postquam subiecta fuisset variis chirurgicis sectionibus; enim animadvertentur apud eam discopatia, fibromatosis uteri, cholecystitis calculosis, sed maxime ei diagnosis data est sclerosi laterali amyotrophicae. Die 3 mensis Septembris anno 1976 ei impertita est infirmorum unctio et Octobri mense, graviter aegrotans, interfuit peregrinationi ad Lapurdum per hamaxosticum infirmorum a consociatione dicta *UNITALSI* apparatae. Anno 1977, ob eius valetudinis conditionem, nova quaedam Moderatrix Generalis electa est.

Maxime postremis vitae annis Serva Dei per dolorem sui ipsius oblationem, quae tota per vitam ei consentanea fuerat, adimplevit. Cum autem voluisset restituere iniurias, quas praecipue a sacerdotibus Sanctissima Trinitas accipit, se dedit veluti victimam una cum Iesu pro animarum salute. Praeter eiusmodi oblationem ipsa proxima semper fuit dolentibus etiam per multiplicem operam caritatis, quam tam ipsamet quam Opera eius perficiebant. Maria Bordoni conata est per institutionem verbi sed maxime per exemplum vitae spiritualitatem sacerdotalem ecclesiamque necnon marianam Sororibus Operae et omnibus, tam magnis quam parvis, quos conveniebat communicare. Sua in vita se ostendit matrem tantis infantibus solis ac indefensis, sororem ac matrem spiritualem multis sacerdotibus qui adibant eam ut bonum susciperent consilium vel orationem poscerent.

Vehementissimus in ea erat amor in Eucharistiam, in qua percipiebat praesentiam Iesu Sacerdotis, qui Patri et mundo se offert; cum Missae aderat clarius percipiebat missionem reparationis, quae a Domino ei commissa erat. Per experientiam coniunctionis cum Maria Virgine vive redemptionem ingressa est: Serva Dei crebro eam invocabat etiam per assiduum sancti rosarii orationem.

In virtutes progrediebatur usque ad eximiam perfectionem. Omnibus vitae eius in adiunctis fide semper est fulta et ad imitationem Mariae Sanctissimae iuxta crucem etiam in difficultatibus ac in morbo firmissimam fidem serenitatemque servavit. Humilitas eius fuit praecipua virtus et iam ab adulescentia sua in vita fuit simplex ac sobria semper in magno spiritu materno. Domini voluntati parere semper voluit etiam cum magna sacrificia sustineret.

Serva Dei in Arce Gandulfi die 16 mensis Ianuarii anno 1978 mortua est.

Fama vigente sanctitatis, a die 28 mensis Iunii anno 1996 ad diem 13 mensis Octobris anno 2001, apud Curiam Ecclesiasticam Albanensem dioecisana Inquisitio celebrata est, cuius iuridica validitas ab hac Congregatione de Causis Sanctorum per Decretum diei 6 mensis Decembris anno 2002 est approbata. Exarata *Positione*, consuetas secundum normas disceptatum est an Serva Dei heroico in gradu virtutes excoluisset. Positivo cum exitu, die 12 mensis Aprilis anno 2016 Peculiaris Consultorum Theologorum Congressus habitus est. Patres Cardinales et Episcopi Ordinaria in Sessione diei 6 mensis Martii 2018, cui egomet, Angelus Cardinalis Amato, praefui, agnoverunt Servam Dei heroicis virtutes theologales, cardinales et adnexas exercuisse.

Facta demum de hisce omnibus rebus Summo Pontifici Francisco per subscriptum Cardinalem Praefectum accurata relatione, Sanctitas Sua, vota Congregationis de Causis Sanctorum excipiens rataque habens, hodierno die declaravit: *Constare de virtutibus theologalibus Fide, Spe et Caritate tum in Deum tum in proximum, necnon de cardinalibus Prudentia, Iustitia, Temperantia et Fortitudine, iisque adnexis, in gradu heroico, Servae Dei Mariae Antonillae Bordoni, Christifidelis Laicae e Tertio Ordine Sancti Dominici et Fundatricis Fraternitatis Laicalis Parvularum Filiarum Matris Dei nunc Parvularum Filiarum Matris Dei, in casu et ad effectum de quo agitur.*

Hoc autem decretum publici iuris fieri et in acta Congregationis de Causis Sanctorum Summus Pontifex referri mandavit.

Datum Romae, die 6 mensis Martii a.D. 2018.

ANGELUS CARD. AMATO, S.D.B.
Praefectus

L. ☒ S.

☒ MARCELLUS BARTOLUCCI
Archiep. tit. Mevaniensis, *a Secretis*

ARIMINENSIS

Beatificationis et Canonizationis Servae Dei Alexandrae Sabattini, Christifidelis Laicae (1961-1984)**DECRETUM SUPER VIRTUTIBUS**

«Cum vere amavi, percepi Deum omnia et omnes replere».

Verba haec Serva Dei Alexandra Sabattini, v. Sandra, scribebat in quadam suarum cogitationum quas quotidie agebat. Et certo huius amoris sub luce iter vitae eius bene comprehenditur: brevis vita, sed ferventer effusa ad voluntatem Dei adimplendam et ad liberalitatem erga fratres, praecipue indigentiores, efficiendam.

Serva Dei die 19 mensis Augusti anno 1961 Ericione, Ariminensi in provincia et dioecesi, nata est et sequenti die baptismum recepit. Quattuor annos agens, cum familia, tenui condicione, se transtulit ad canonicam domum Ariminensis paroeciae Sancti Hieronymi, ubi avunculus Iosephus, matris frater, parochus erat. Serva Dei mensae eucharisticae primitus participavit die 3 mensis Maii anno 1970 et die 16 mensis Aprilis anno 1972 sacramentum confirmationis accepit. Paulo post decem annos nata, omnibus inscientibus cogitationes et meditationes spirituales scribere incepit, quod praecox signum fuit vehementis itineris spiritualis quod eam ad meliora ducturum erat. Inter primas sententias haec verba, significantia totam viam eius, leguntur: «Vivere sine Deo oblectamentum est, molestum aut iucundum, quo ludere in mortis exspectatione».

Duodecim annos agens, occurrit Reverendo Domino Oresti Benzi et Communitati *Papae Ioannis XXIII*; duos post annos commorationi in Dolomitis pro adolescentibus una cum anxii debilibus interfuit, ex qua rediit sibi proponens ut ageret pro illis. «Ossa nostra vehementer excruciatata sunt, sed gentem illam numquam derelinquam»: haec fuit explanatio eius eventui gesto magno cum animi ardore. Semper ferventior et limpidior fuit fides eius: facile erat invenire eam Eucharistiam adorantem aut, in terra sedentem, in meditatione vel in invocatione *Psalmorum* defixam. In infirmis et toxicomania affectis vultum Iesu patientis agnoscebat et visitabat eos per domos ad eos ministrandos et adiuvandos. Amor Sandrae erga Dominum redundabat in iis qui eam contingebant: Serva Dei gaudium fervoremque effundebat, quod etiam aliis suadebat itinerarium fidei conficiendum.

Anno 1980 diploma maturitatis scientificae Arimini obtinuit, denique in facultatem medicinam Bononiensis universitatis nomen professa est. Haec electio maturata est in laboriosa investigatione ad exquirendum consilium Domini erga illam: fortiter desiderabat se medicam missionariam in Africa fieri. Interea se tradebat in therapeuticis communitatibus ad recuperandos toxicomania affectos in communitate *Papae Ioannis XXIII*. Illis annis amorosam consuetudinem cum Vidone Rossi, iuvene paulo maiore quam illa, cum quo particeps erat vitae communitatis, et aedificandi futura incohavit.

Pauperibus accurrendo et eos succurrendo, Sandra vocationem suam invenit: intimam communionem cum Deo, alitam precationem, in itinere fraternitatis et in imitatione Iesu, pauperis et servi, ut oboediens Deo Patri vitam cum minimis communicaret. Serva Dei eminebat non tantum humanis virtutibus, sed praecipue sublimitate interioris vitae: iuvenis mulier dives fide fuit, voci Dei intenta et parata ad voluntatem eius efficiendam, prompta ac libera ad difficultates omnium solvendas. Firmum et perseverans fuit studium eius ad caritatem. Temporibus eius, saepe perturbatis existentialibus quaestionibus, praebuit se semper suavem in gestu et validam in consilio, patientem et serenam in difficultatibus, exemplar amoris et participationis, humilitatis ac mansuetudinis.

Die 29 mensis Aprilis anno 1984, in loco v.d. *Igea Marina*, dum iret ad congressum communitatis, percussa est ab autoraeda et in veternum intravit. Instanter translata est in Ariminense valetudinarium, denique in Bononiense, sed numquam reviruit et die 2 sequentis mensis Maii ex hoc mundo migravit.

Sanctitatis fama considerata a die 27 mensis Septembris anno 2006 ad diem 6 mensis Decembris anno 2008 apud Curiam ecclesiasticam Ariminensem Inquisitio dioecesana celebrata est, cuius iuridica validitas ab hac Congregatione de Causis Sanctorum per Decretum diei 18 mensis Iunii anno 2010 est approbata. Exarata *Positione*, consuetas secundum normas disceptatum est an Serva Dei heroicum in modum virtutes excoluisset. Positivo cum exitu, die 14 mensis Novembris anno 2017 Peculiaris Consultorum Theologorum Congressus habitus est. Patres Cardinales et Episcopi Ordinaria in Sessione congregati, die 6 mensis Martii anno 2018, me Angelo Cardinale Amato praesidente, Servam Dei virtutes theologales, cardinales et adnexas heroicum in modum exercuisse agnoverunt.

Facta demum de hisce omnibus rebus Summo Pontifici Francisco per subscriptum Cardinalem Praefectum accurata relatione, Sanctitas Sua, vota Congregationis de Causis Sanctorum excipiens rataque habens, hodierno die declaravit: *Constare de virtutibus theologalibus Fide, Spe et Caritate tum in Deum tum in proximum, necnon de cardinalibus Prudentia, Iustitia, Temperantia et Fortitudine, visque adnexis, in gradu heroico, Servae Dei Alexandrae Sabattini, Christifidelis Laicae, in casu et ad effectum de quo agitur.*

Hoc autem decretum publici iuris fieri et in acta Congregationis de Causis Sanctorum Summus Pontifex referri mandavit.

Datum Romae, die 6 mensis Martii a.D. 2018.

ANGELUS CARD. AMATO, S.D.B.
Praefectus

L. ☩ S.

☩ MARCELLUS BARTOLUCCI
Archiep. tit. Mevaniensis, *a Secretis*

DERTHONENSIS

**Beatificationis et Canonizationis Servae Dei Iustinae Schiapparoli, Fundatricis
Congregationis Sororum Benedictinarum a Divina Providentia de Voghera (1819-
1877)**

DECRETUM SUPER VIRTUTIBUS

«Opus nostrum Divinae Providentiae innititur».

Sententia haec operam et vitam bene complectitur Servae Dei Iustinae Schiapparoli, Fundatricis, cum sorore sua Maria, Sororum Benedictinarum a Divina Providentia de Voghera.

Serva Dei nata est in Castro Sancti Ioannis, Placentina in dioecesi, die 19 mensis Iulii anno 1819 e divite familia, quae autem in paupertatem prolapsa erat. E multis filiis Clementis Schiapparoli et Mariae Passera superstites evaserunt tantum Serva Dei et soror Maria, quae eam totam per vitam comitata est. Pater, ut aptam christianam institutionem filiabus suis praestaretur, easdem commendavit Instituto pro derelictis, quod Ticini regeratur a sancta Benedicta Cambiagio, pia domina, Ioannis Baptistae Frassinello uxore, quae apud se congregaverat quasdam praeceptorices communem vitam degentes quamvis religiosis votis non astrictas, se omnino tradentes institutioni puellarum et iuvenum mulierum pauperum ac derelictarum.

Anno 1838 Serva Dei una cum Maria secuta est sanctam Benedictam ad pagum Ronci Genuensium, ubi eiusdem sanctae vir ortus erat, ibique, cum subvenire puellis pauperibus ac derelictis haud opus esset, sorores operam dederunt ad puellas erudiendas humanis litteris ac christiana doctrina.

Anno 1847 duae sorores a pago Ronci Genuensium discesserunt, relinquentes sanctam Benedictam eiusque communitatem et patris maestis implorationes exaudientes, qui cum graviter aegrotaret, filias exorabat ut domum redirent ad ipsummet assidendum. Sorores profectae sunt, Dei voluntati se committentes omnibus vitae temporibus. Cum pecunia indigerent, iter fecerunt benefactorum muneribus.

Patris in domo, Maria et Iustina operam statim dederunt ad quibusdam derelictis puellis excipiendis parvamque condiderunt scholam ad easdem docendas fidei rudimenta, humanas litteras ac operas domesticas, quae utilia postea in uxorum ac matrum vita evaderent. Derthonensis Episcopus sollicite fovit et sustentavit sorores Schiapparoli, quae silentio ac clam illam

benemerentem operam inceperant. Sacerdotes Irienses, maxime canonici ecclesiae collegiatae sancti Laurentii, sustinuerunt duas sorores, quae operi suo tam generose se devovebant.

Cum indigentes puellae a sororibus acceptae valde increbescerent, saepissime domum oportuit commutare in novam et ampliorem, cui operi semper soror Maria curavit, nam sorores animi indole inter se dissimiles erant: Maria, quamquam maior natu, ad orationem et silentium propensior erat eo ut nuncuparetur *sancta umbra*, Iustina autem erat alacrior ac sollertior.

Multae iuvenes, etiam ex oppidi divitioribus familiis, iam ab initio sorores secutae sunt. Opera quae a Iustina et Maria condita fuit, scilicet Institutum Benedictinarum a Divina Providentia vel Institutum Schiapparoli, statim formam sumpsit religiosae Congregationis, suo cum vitae regimine spiritu benedictino imbuto. Anno 1850 Congregatio ab Episcopo dioecesano approbata est et duae Fundatrices religiosam professionem emisissent.

Mater Iustina, quamquam natura fortis ac strenua, admodum erat humilis et semper benigne se gessit cum magistratibus, quamvis illo tempore Regnum Italicum et Ecclesia asperrime inter se confligerent. Mater Iustina Institutum rexit se semper committens Divinae Providentiae.

Moniales dum puellas pauperes et derelictas apud se excipiebant, ipsaemet summa in paupertate vitam degebant. Egestate perdurante, tamen Institutum admodum augebatur et opus fuit alias condere domus, inter quas adnumerantur illa Castri Sancti Iohannis et anno 1869 illa Vespolatis, cuius soror Maria prima fuit superiorissa.

Servae Dei materno amore eminebat, et mulier fuit strenui animi fideque dives. Clam et silentio vixit, orationi se tradens et excipiens puellas, quibus ipsaemet assidue inserviebat, illis praesertim aegrotis et gravibus malis correptis etiam typho laborantibus. Cotidie caritas erga proximos fuit fundamentum vitae Servae Dei. Vitam suam in austeritate degit divinae Providentiae semper se commendans pro Instituti necessitatibus.

Die 30 mensis Novembris anno 1877 subitanea morte occubuit ob pulmonum congestionem; die 1 mensis Decembris anno 1877 Iriensi in coemeterio condita est. Eius mortales exuviae una cum coemeterio ob belli incursus deperierunt.

Perdurante Servae Dei eiusque sororis fama sanctitatis etiam in locis missionis ubi et nunc Sorores Benedictinae a Divina Providentia operam suam impertiunt, Episcopus Derthonensis a die 8 mensis Augusti 1999 ad

diem 13 mensis Maii anno 2001 dioecesanam Inquisitionem celebravit, cuius iuridica validitas ab hac Congregatione de Causis Sanctorum per Decretum diei 6 mensis Decembris anno 2002 est approbata. Exarata *Positione*, disceptatum est consuetas secundum normas an Serva Dei heroico gradu virtutes excoluisset. Positivo cum exitu, die 12 mensis Novembris anno 2015 Peculiaris Congressus Consultorum Theologorum habitus est. Patres Cardinales et Episcopi Ordinaria in Sessione diei 6 mensis Februarii anno 2018, cui egomet ipse Angelus Cardinalis Amato praefui, agnoverunt Servam Dei heroicum in modum virtutes theologales, cardinales ed adnexas exercuisse.

Facta demum de hisce omnibus rebus Summo Pontifici Francisco per subscriptum Cardinalem Praefectum accurata relatione, Sanctitas Sua, vota Congregationis de Causis Sanctorum excipiens rataque habens, hodierno die declaravit: *Constare de virtutibus theologalibus Fide, Spe et Caritate tum in Deum tum in proximum, necnon de cardinalibus Prudentia, Iustitia, Temperantia et Fortitudine, iisque adnexis, in gradu heroico, Servae Dei Iustinae Schiapparoli, Fundatricis Congregationis Sororum Benedictinarum a Divina Providentia de Voghera, in casu et ad effectum de quo agitur.*

Hoc autem decretum publici iuris fieri et in acta Congregationis de Causis Sanctorum Summus Pontifex referri mandavit.

Datum Romae, die 6 mensis Martii a.D. 2018.

ANGELUS CARD. AMATO, S.D.B.
Praefectus

L. ☩ S.

☩ MARCELLUS BARTOLUCCI
Archiep. tit. Mevaniensis, *a Secretis*

DERTHONENSIS

Beatificationis et Canonizationis Servae Dei Mariae Schiapparoli, Fundatricis Congregationis Sororum Benedictinarum a Divina Providentia de Voghera (1815-1882)

DECRETUM SUPER VIRTUTIBUS

«Induite vos ergo sicut electi Dei, sancti et dilecti, viscera misericordiae, benignitatem, humilitatem, mansuetudinem, longanimitatem» (*Col 3, 12*).

Haec Apostoli sententia interiorem habitum bene complectitur, qui efformavit vitam Servae Dei Mariae Schiapparoli, Fundatricis, cum sorore sua Iustina, Sororum Benedictinarum a Divina Providentia de Voghera.

Serva Dei nata est in Castro Sancti Ioannis, Placentina in dioecesi, die 19 mensis Aprilis anno 1815 e divite familia, quae autem in paupertatem prolapsa erat. E multis filiis Clementis Schiapparoli et Mariae Passera superstites evaserunt tantum Serva Dei et soror Iustina, quae eam totam per vitam comitata est. Pater, ut aptam christianam institutionem filiabus suis praestaretur, easdem commendavit Instituto pro derelictis, quod Ticini regebatur a sancta Benedicta Cambiagio, pia domina, Ioannis Baptistae Frassinello uxore, quae apud se congregaverat quasdam praeceptorices communem vitam degentes quamvis religiosi votis non astrictas, se omnino tradentes institutioni puellarum et iuvenum mulierum pauperum ac derelictarum.

Anno 1838 Serva Dei una cum Iustina secuta est sanctam Benedictam ad pagum Ronci Genuensium, ubi eiusdem sanctae vir ortus erat, ibique, cum subvenire puellis pauperibus ac derelictis haud opus esset, sorores operam dederunt ad puellas erudiendas humanis litteris ac christiana doctrina.

Anno 1847 duae sorores a pago Ronci Genuensium discesserunt, relinquentes sanctam Benedictam eiusque communitatem et patris maestas implorationes exaudientes, qui cum graviter aegrotaret, filias exorabat ut domum redirent ad ipsummet assidendum. Sorores profectae sunt, Dei voluntati se committentes omnibus vitae temporibus. Cum pecunia indigerent, iter fecerunt benefactorum muneribus.

Patris in domo, Maria et Iustina operam statim dederunt ad quibusdam derelictis puellis excipiendis parvamque condiderunt scholam ad easdem docendas fidei rudimenta, humanas litteras ac operas domesticas, quae utilia postea in uxorum ac matrum vita evaderent. Derthonensis Episcopus

sollicite fovit et sustentavit sorores Schiapparoli, quae silentio ac clam illam benemerentem operam inceperant. Sacerdotes Irienses, maxime canonici ecclesiae collegiatae sancti Laurentii, sustinuerunt duas sorores, quae operi suo tam generose se devovebant.

Cum indigentes puellae a sororibus acceptae valde increbescerent, saepissime domum oportuit commutare in novam et ampliolem, cui operi semper soror Iustina curavit, nam sorores animi indole inter se dissimiles erant: Maria, quamquam maior natu, ad orationem et silentium propensior erat eo ut nuncuparetur *sancta umbra*, Iustina autem erat alacrior ac sollertior.

Multae iuvenes, etiam ex oppidi divitioribus familiis, iam ab initio sorores secutae sunt. Opera quae a Iustina et Maria condita fuit, scilicet Institutum Benedictinarum a Divina Providentia vel Institutum Schiapparoli, statim formam sumpsit religiosae Congregationis, suo cum vitae regimine spiritu benedictino imbuto. Anno 1850 Congregatio ab Episcopo dioecesano approbata est et duae Fundatrices religiosam professionem emiserunt.

Moniales dum puellas pauperes et derelictas apud se excipiebant, ipsaemet summa in paupertate vitam degebant. Egestate perdurante, tamen Institutum admodum augebatur et opus fuit alias condere domus, inter quas adnumerantur illa Castri Sancti Iohannis et anno 1869 illa Vespolatis, cuius Serva Dei prima fuit superiorissa.

Soror Maria eximia humilitate necnon spiritu famulatus erga consorores eminuit. Dum vixit, virtutibus, operibus ac crebris signis sui sinceri amoris erga Christum meruit ab incolis Vespolatis valde existimari.

Post Iustinae excessum qui die 30 mensis Novembris anno 1877 subiit, Serva Dei superiorissa generalis ab Episcopo Derthonensi constituta est, quod munus paulo post deposuit, putans se non posse ipsum digne exercere.

Maria mortali e vita excessit in pago Vespolatis die 2 mensis Maii anno 1882.

Perdurante Servae Dei eiusque sororis fama sanctitatis etiam in locis missionis ubi et nunc Sorores Benedictinae a Divina Providentia operam suam impertiunt, Episcopus Derthonensis a die 8 mensis Augusti 1999 ad diem 13 mensis Maii anno 2001 dioecesanam Inquisitionem celebravit, cuius iuridica validitas ab hac Congregatione de Causis Sanctorum per Decretum diei 6 mensis Decembris anno 2002 est approbata. Exarata *Positione*, disceptatum est consuetas secundum normas an Serva Dei heroico gradu virtutes excoluisset. Positivo cum exitu, die 12 mensis Novembris anno 2015

Peculiaris Congressus Consultorum Theologorum habitus est. Patres Cardinales et Episcopi Ordinaria in Sessione diei 6 mensis Februarii anno 2018, cui egomet ipse Angelus Cardinalis Amato praefui, agnoverunt Servam Dei heroicum in modum virtutes theologales, cardinales ed adnexas exercuisse.

Facta demum de hisce omnibus rebus Summo Pontifici Francisco per subscriptum Cardinalem Praefectum accurata relatione, Sanctitas Sua, vota Congregationis de Causis Sanctorum excipiens rataque habens, hodierno die declaravit: *Constare de virtutibus theologalibus Fide, Spe et Caritate tum in Deum tum in proximum, necnon de cardinalibus Prudentia, Iustitia, Temperantia et Fortitudine, iisque adnexis, in gradu heroico, Servae Dei Mariae Schiapparoli, Fundatricis Congregationis Sororum Benedictinarum a Divina Providentia de Voghera, in casu et ad effectum de quo agitur.*

Hoc autem decretum publici iuris fieri et in acta Congregationis de Causis Sanctorum Summus Pontifex referri mandavit.

Datum Romae, die 6 mensis Martii a.D. 2018.

ANGELUS CARD. AMATO, S.D.B.
Praefectus

L. ☒ S.

☒ MARCELLUS BARTOLUCCI
Archiep. tit. Mevaniensis, *a Secretis*

CASSOVIENSIS

Beatificationis seu Declarationis Martyrii Servae Dei Annae Kolesárová, Christianae Laicae († 22.XI.1944)

DECRETUM SUPER MARTYRIO

«Hostia sanctae castitatis».

His verbis in parociae pagi v.d. *Pavlovce* libro adnotatis de Servae Dei Annae Kolesárová morte relatum est. Eius martyrium innocentis quidem fuit victimae, quod vitae Domino acceptum fuit, qui autem suam Sponsam gloria coronavit.

Serva Dei, vulgo *Anka* nuncupata, die 14 mensis Iulii anno 1928 in hodierna Slovachia, in pago v.d. *Vysoka nad Uhom* iuxta *Michalovce*, nata est. Secundogenita agricolarum familiae, die sequenti sacro fonte lustrata est. Ludum suo natali in pago frequentavit et anno 1938 sacram ad Mensam primitus accessit Confirmationeque munita est. Ineunte adolescentia, matre orbata est. Magno auctoritatis sensu onus officiorum domesticorum necnon curae fratris maioris Michaëlis sumpsit. Simplicem Serva Dei vitam degebat et una cum quibusdam puellabus amicis suis ad Sanctam Missam libenter accedebat.

Eius placida existentia et aliarum incolarum illius pagi ab occupatione die 22 mensis Novembris anno 1944 subversa est, quae e copiis Armatae Rubri Corporis perpetrabatur fere in exitu illius secundi mundani belli. Quibusdam diebus Orientalis Slovachia acies evenerat proelii inter exercitum Germanicum et Russicum supremumque ad certamen uterque se parabat.

Illis in adiunctis Serva Dei et eius familiares in cella subter culinam eorum domus se abdiderunt. Quidam miles Russicus, cum omnia diligenter scrutaretur et perquireretur, latibulum illud invenit. Instante patre, Anna exivit ut eidem militi aliquid edendum potandumque praeberet. Miles eam condicionibus impudicis incepit vexare. Omnibus viribus ei neglegenti morte minatus est. Anna se vinculis illis torsit et in cellam properavit. Ille latro eam secutus est et ei ut extremam salutationem suis familiaribus offerret imperavit. «Valete, pater! Iesu, Maria, Ioseph!» extrema fuerunt eius verba, prius quam humi procumberet militis manuballistae ictu caesa, decimo sexto aetatis suo anno. Pago pyrobolis percusso, vespere sequenti diei

sepulta est summa difficultate, occulte atque sine sacerdote. Ritus autem sequenti hebdomada, die 29 mensis Novembris, habiti sunt. Expleto bello, admodum difficilis rerum politicarum condicio in Cechoslovachia impedit ne illius eventus mentio fieret neque conventus apud locum sepulturae haberetur. Delapso autem regimine, homines de Serva Dei et de eius heroica morte inceperunt colloqui. Anno 1999 coetus studentium Cassoviae, cum cognovissent eius historiam, statuerunt peregrinatione visitare illos locos in quibus ea vixerat. Exsuviae Annae iuxta coemeterium pagi requiescunt et super eas stat lapis inscriptus etiam verbis sententiae Sancti Dominici Savio, scilicet: “Potius mortem quam peccata malo”.

Anna Kolesárová suam deditionem ad Christum et ad Ecclesiam usque ad sanguinis effusionem professa est. Sicut ille Israelis Sapiens praeannuntiavit eius anima est in manibus Dei, nulla tormenta eam laedere valebunt; etiam si coram humanis oculis poena affecta sit, eius autem spes immortalitate plena evadit (cfr *Sap* 3, 1.4).

Ingravescente bello, Anna illum in atrocem abusum et violentiam tracta est, quibus innocens fuit victima. Bellica adiuncta maxime illis in regionibus Europae Orientalis vere fuit persecutio contra christianos. Illis in venenatis rebus et adiunctis, vi adhibitae Annae interfectionis actus ille materialis profecto et sine ulla dubitatione compertus est. Servae Dei interemptio, multis e testibus pronuntiata, antecessa erat et secuta est profanationibus et actibus contemptiois ut perterrerent populum. Sola causa interfectionis eius fuit cohaerentia in castitatem et muliebrem dignitatem tuendas, e fide concitata et in interiore animo confirmata.

Cum fama martyrii Servae Dei ecclesiali in communitate valde diffunderetur, a die 27 mensis Februarii anno 2009 ad diem 18 mensis Novembris anno 2011 iuxta Curiam ecclesiasticam Cassoviensem Inquisitio dioecesana celebrata est, cuius iuridica validitas ab hac Congregatione de Causis Sanctorum per Decretum diei 14 mensis Iunii anno 2013 est approbata. Exarata Positione, Congressus Consultorum Historicorum habitus est die 27 mensis Iuanuarii anno 2015. Ergo consuetas secundum normas disceptatum est an Servae Dei verum fuisset martyrium. Die 20 mensis Iunii anno 2017 Peculiaris Consultorum Theologorum Congressus positivo cum exitu habitus est. Patres Cardinales et Episcopi Ordinaria in Sessione diei 27 mensis Februarii anno 2018, cui egomet ipse Angelus Cardinalis Amato praefui, Servam Dei ob eius fidem in Christum et in Ecclesiam interfectam esse professi sunt.

Facta demum de hisce omnibus rebus Summo Pontifici Francisco per subscriptum Cardinalem Praefectum accurata relatione, Sanctitas Sua, vota huius Congregationis de Causis Sanctorum excipiens rataque habens, hodierno die declaravit: *Constare de martyrio eiusque causa Servae Dei Annae Kolesárová, Christifidelis Laicae, in casu et ad effectum de quo agitur.*

Hoc autem decretum publici iuris fieri et in acta Congregationis de Causis Sanctorum Summus Pontifex referri mandavit.

Datum Romae, die 6 mensis Martii a.D. 2018.

ANGELUS CARD. AMATO, S.D.B.
Praefectus

L. ☩ S.

☩ MARCELLUS BARTOLUCCI
Archiep. tit. Mevaniensis, *a Secretis*

MESSANENSIS – LIPARENSIS – SANCTAE LUCIAE

Beatificationis et Canonizationis Servae Dei Florentiae Ioannae Profilio, Fundatricis Instituti Sororum Franciscalum ab Immaculata Conceptione Liparensium (1873-1956)

DECRETUM SUPER VIRTUTIBUS

«Doce me, Domine, viam tuam, et ingrediar in veritate tua» (*Ps* 86, 11).

Haec antiqui cantoris Israëlis verba in vita ac spiritualitate Servae Dei Florentiae Ioannae Profilio clare resonant. Investigatio “vultus” Domini iter eius notavit et cohaerens ac fecundum testimonium divino Sponso evasit.

Serva Dei in pago v.d. *Pirrer*a, Liparensi in insula apud Messanam, die 30 mensis Decembris anno 1873 est orta. Quarta filiorum, baptismum accepit sub nomine Ioanna. In familia validam institutionem humanam et christianam consecuta est et cito cum gaudio et ardore incepit paroeciam colere loci *Pirrer*a, qui pars erat Liparensis civitatis. Signa vocationis ad vitam consecratam percepit, sed propter multa impedimenta desiderium hoc ad effectum perducere nequirit: praecipue animus infensus matris, obitus patris anno 1895, migratio familiae Profilio in Civitates Foederatas Americae Septentrionalis.

Ita Serva Dei una cum familiaribus domicilium constituit Novi Eboraci, ubi operam dare in officina inchoavit; sed numquam defuit eius spiritualis peritia, quae immo participans consiliis conventus Fratrum Minorum Franciscanorum ipsa confirmabat. Ab anno 1898 pertinuit ad Congregationem Sororum e Tertio Ordine Sancti Francisci civitatis *Allegany*, in Novi Eboraci natione; sequenti anno vestem franciscanam induit et nomem assumpsit Florentiam; die 22 mensis Iulii anno 1900 vota temporanea emisit.

Quattuor annis Novi Eboraci permansit. Postea familiares eius, inter quos etiam quidam frater sacerdos, deliberaverunt Italiam redire et Liparam reversi sunt. Etiam Soror Florentia, a Liparensi episcopo persuasa novam communitatem religiosam instituere pro incommodis quae exstabant in Aeoliis insulis, anno 1905 Liparam petit.

Opus inchoavit. Iuvenis communitas egit ad condiciones sublevandas orphanorum, seniorum, familiarum quae anguste vivebant ob particulares circumstantias situs, separati a mundo et divitiis orbati. Aperta est prima domus novi Instituti et episcopus decretum edit ad Congregationem So-

rorum Franciscalium ab Immaculata Conceptione Liparensium probandam. Die 2 mensis Augusti anno 1906 Serva Dei professionem perpetuam emisit et nominata est Fundatrix et prima Superiorissa Generalis Instituti. Hoc munus serbabit usque ad mortis diem.

Recens familia religiosa gradatim in Siciliam, in Italiam et in externa loca se diffudit. Studio ac deditioe Mater Florentia Sorores invitavit ad multos ambitus subsidii et apostolatus: asyla, instituta ad educandas puellas et orphanos iuvandos, scholastica ientacula, valetudinaria, convictus, auxilia ad senes et derelictos aegrotos, colonias aestivas, ludus, scholas pro artificibus cum officinis, catechesim, operas paroeciae. Anno 1953 prima domus in Brasilia denique in Peruvia inaugurata est.

Exemplum Servae Dei incitamentum formativum erat. Eius in vita enim notatur limpidus orbis qui, difficultatibus et impedimentis neglectis, propositum sententiarum, iudiciorum et electionum eius est: Iesus Christus unicus absolutus, qui omnibus virtutibus sensum et designationem dat.

Vocatio eius in dolorosis angustiis maturavit, quae tamen magis magisque interiorem vitam certiore ac liberaliorem fecerunt et progressum faverunt in virtutes. Mater Florentia alebat spiritualitatem Verbum Dei meditans, quotidie precans, amans sine exceptione Christum et Ecclesiam. Eucharistia imitatio Beatae Virginisque nuclei erant eius cogitationum et optionum necnon fons educativae et subsidiariae actuositatis.

Alterum principium eius spiritualis vitae assiduum exercitium caritatis fuit. Ad adiuvandos fratres vexatos omnis generis paupertate, Serva Dei testimonium praebens sua vita Evangelium nuntiabat et amorem proximo propagationem esse amoris erga Deum reputabat. «Amor causa omnium vestrorum propositorum sit et omnium impulsuum, Amor qui Omnipotenti canticum gloriae, gratiae et benevolentiae renuntiet»: verba haec, ab ea intenta Sororibus, vis erant qua eius sollertiae afflatum movebatur.

Naturalis simplicitas eius eminebat quadam fortitudine, interdum etiam asperiora; sed animus eius severus temperabatur a prudentia et mansuetudine, quae exitus erant constantis interioris conatus, aperte manifesti in angustiis et doloribus, ab ea existimatis donum gratiae ad communionem cum Christo crucifixo fovendam. Spiritualitati franciscanae conformata, Mater Florentia institutionem suam sub vexillo Immaculatae Conceptionis Mariae posuit, quod est ulterius signum filialis devotionis marianae, quae totum iter eius sustentaverat.

Post longam vitam, totam deditam ad dolores et solitudinem lenendos et ad pueros et adolescentes erudiendos, Serva Dei die 21 mensis Februarii anno 1956 Romae terrenam clausit diem, circumdata a vulgata fama sanctitatis.

Quapropter a die 31 mensis Octobris anno 1985 ad diem 2 mensis Februarii anno 1991 iuxta Curiam ecclesiasticam Messanensem-Liparensis-S. Luciae Inquisitio dioecesana celebrata est, dum Processus rogatoriales locum habebant apud Curias Iaciensem et Panormitanam, quorum iuridica validitas ab hac Congregatione de Causis Sanctorum per Decretum diei 18 mensis Novembris anno 1994 est approbata. Exarata *Positione*, consuetas secundum normas disceptatum est an Serva Dei heroicum in modum virtutes excoluisset. Positivo cum exitu, die 11 mensis Iunii anno 2015 Peculiaris Consultorum Theologorum Congressus habitus est. Patres Cardinales et Episcopi Ordinaria in Sessione congregati, die 20 mensis Martii anno 2018, me Angelo Cardinale Amato praesidente, Servam Dei virtutes theologales, cardinales et adnexas heroicum in modum exercuisse agnoverunt.

Facta demum de hisce omnibus rebus Summo Pontifici Francisco per subscriptum Cardinalem Praefectum accurata relatione, Sanctitas Sua, vota Congregationis de Causis Sanctorum excipiens rataque habens, hodierno die declaravit: *Constare de virtutibus theologalibus Fide, Spe et Caritate tum in Deum tum in proximum, necnon de cardinalibus Prudentia, Iustitia, Temperantia et Fortitudine, iisque adnexis, in gradu heroico, Servae Dei Florentiae Ioannae Profilio, Fundatricis Instituti Sororum Franciscalium ab Immaculata Conceptione Liparensium, in casu et ad effectum de quo agitur.*

Hoc autem decretum publici iuris fieri et in acta Congregationis de Causis Sanctorum Summus Pontifex referri mandavit.

Datum Romae, die 14 mensis Aprilis a.D. 2018.

ANGELUS CARD. AMATO, S.D.B.
Praefectus

L. ☩ S.

☩ MARCELLUS BARTOLUCCI
Archiep. tit. Mevaniensis, a Secretis

IMOLENSIS

Beatificationis et Canonizationis Servae Dei Margaritae Ricci Curbastro (a saec. Constantiae), Fundatricis Congregationis Ancillarum Sacri Cordis Iesu Agonizantis (1856-1923)

DECRETUM SUPER VIRTUTIBUS

«Noster cultus acceptus est Deo cum in eum ferimus proposita cum magnanimitate vivendi atque cum sinimus ut Dei donum, quod in eo accipimus, studio in fratres manifestetur» (Franciscus, Adhortatio Apostolica *Gaudete et Exsultate*, 104).

Hoc desiderabile propositum, a Papa Francisco adumbratum, profundiorrem indolem Servae Dei Margaritae Ricci Curbastro ostendit, quae vitam suam in Domino oblationem et in magnanimum ministerium erga proximum transfiguravit.

Serva Dei Luci in Aemilia-Romania, Imolensis dioecesis intra fines, die 6 mensis Octobris anno 1856 nata est et sequenti die baptismum recepit cum nomine Constantia. Familia eius nobili origine et magna erat eruditione: inter coetera, frater eius Gregorius praeclarus evadet mathematicus. Domi vivida erat fides et Serva Dei christiane erudita est, quae mox praebuit fervens spiritum precationis et claram humanitatem erga pauperes. Per aliquot annos institutio eius commissa est monialibus monasterii *Corpus Domini* Fori Livii, domum quam propter terrae motum Serva Dei relinquere debuit.

Illis temporibus quamvis in corde suo augeret propositum se totaliter consecrandi Domino, puella tamen suspensa erat; quam ob rem pater, sollicitudinis plenus, reverendo Marco Morelli spirituali moderatori tradidit eam. Per aliquot menses Constantia vitae communitatis Filiarum Caritatis a Sancto Vincentio de' Paoli Labronis Senaeque participavit, sed postea in familiam rediit.

Interea Luci reverendus Morelli instituere incepit novam familiam religiosam, Ancillae a Sacro Corde Iesu Agonizantis, ut sorores intime participarent operi redemptivo Christi et se offerrent in reparationem, vivens precatio Deo et testes sedulae praesentiae eius et missionis Ecclesiae, per famulatum fratrum praecipue pauperiorum. Serva Dei proposito Marci Morelli adhaesit, nomen religiosum Margaritam assumpsit et una cum eo fun-

datrix evasit nascentis Congregationis, cuius superiorissa electa est. Anno autem 1892 professionem emisit.

Magis magisque particeps fuit operum educationum auxiliarium, clare agens ad puellas promovendas, quae maxime in discrimen et neglectae erant, et ad humanam religiosamque institutionem earum curandam. Officinas paravit et operam dedit ad has iuvenes mulieres in negotia incohandas. Multa perfecit itinera, ut consilia et impulsus Instituti diffunderet, et novas aperuit domus in Romania, Etruria et Latio. Prudens evasit conditrix in Instituto dirigendo, praesertim post mortem fundatoris, anno 1912, et magna cum caritate Mater Margarita se obtulit filiabus suis et sororibus. Vigilis intentio, materna liberalitas, humilitas ac animis fortitudo: omnia haec fulgent in hac vera “Teste Misericordiae divinae”.

Quamvis valetudo eius firma non esset, Serva Dei numquam defecit a suo vocationalis consilio et, etiam in difficultatibus, puellulas ac adulescentulas colligere in Instituto perrexit ut eas dirigeret ad studia vel ad opera. Annis primi mundani belli operam dedit ut sorores in militaria valetudinaria ad vulneratos curandos se conferrent.

Mulier magnanima ac mitis Margarita, ut “reparatrix”, intimam ac cohaerentem oblationem Deo et proximo egit. In corde suo veram “passionem” pro animis aluit et puellas humili loco natas quavis ratione servari voluit: pro illis ad agendum et dolore laborandum in unione cum Corde Agonizanti Iesu se paravit. Fides ei fuit fulcimen, lux et vigor totius vitae, praecipue in aerumnis. Dulcissima caritas et profundissima humilitas notant personam eius et amor Dei apostolatam animavit.

Spiritualia lineamenta Margaritae Ricci Curbastro excellunt aperta asseveratione regni Dei in vitae cursu, quae patefacta est in assiduo desiderio sanctitatis. Testimonium Servae Dei, quotidie sustentata a precatione et contemplatione, constans in virtutum exercitio fuit. Maxime ea percepit, magis magisque in dies, mysterium Passionis Iesu Agonizantis, cuius foecunditatem transfundere conata est praesertim in mulieres promovendas. Progressa est in perfectionis itinere: fides eius, iam a pueritia, precatione suffulta est; spes eminuit in industriosa expectatione; caritas in plenum Domini vinculum contendit et in magnam suavitatem et liberalitatem famulatus irrupit.

Post aliquot tempus gravium dolorum mortua est in natali civitate die 7 mensis Ianuarii anno 1923. Funeri eius ingens fuit participatio cleri, ecclesialium ac civilium auctoritatum et populi.

Sanctitatis fama Causa eius beatificationis et canonizationis inita est apud Curiam episcopalem Imolensem per dioecesanam Inquisitionem a die 6 mensis Novembris anno 1988 ad diem 25 mensis Septembris anno 1994, cuius auctoritas ab hac Congregatione confirmata est Decreto diei 31 mensis Martii anno 1995. *Positione* parata, iuxta consuetam formam excussum est an Serva Dei virtutes in gradu heroico exercuisset. Die autem 25 mensis Aprilis anno 2017 felici exitu Congressus Peculiaris Theologorum Consultorum habitus est. Patres Cardinales et Episcopi in Ordinaria Sessione die 20 mensis Martii anno 2018 celebrata, cui egomet Angelus Cardinalis Amato praefui, Serva Dei in gradu heroico virtutes theologales et cardinales aliasque iis adnexas exercuisse fassi sunt.

Facta demum de hisce omnibus rebus Summo Pontifici Francisco per subscriptum Cardinalem Praefectum accurata relatione, Sanctitas Sua, vota Congregationis de Causis Sanctorum excipiens rataque habens, hodierno die declaravit: *Constare de virtutibus theologalibus Fide, Spe et Caritate tum in Deum tum in proximum, necnon de cardinalibus Prudentia, Iustitia, Temperantia et Fortitudine, iisque adnexis, in gradu heroico, Servae Dei Margaritae Ricci Curbastro, Fundatricis Congregationis Ancillarum Sacri Cordis Iesu Agonizantis, in casu et ad effectum de quo agitur.*

Hoc autem decretum publici iuris fieri et in acta Congregationis de Causis Sanctorum Summus Pontifex referri mandavit.

Datum Romae, die 14 mensis Aprilis a.D. 2018.

ANGELUS CARD. AMATO, S.D.B.
Praefectus

L. ☩ S.

☩ MARCELLUS BARTOLUCCI
Archiep. tit. Mevaniensis, *a Secretis*

LEIRIENSIS – FATIMENSIS

Beatificationis et Canonizationis Servi Dei Emmanuelis Nunes Formigão, Sacerdotis Dioecesei, Fundatoris Congregationis Religiosarum Reparatricum Dominae Nostrae de Fatima (1883-1958)

DECRETUM SUPER VIRTUTIBUS

«Una cum Sancto Spiritu, Maria semper habitat in medio populo suo. Ea apostolos colligebat ad invocandum eum et ita expedit impetum missionarium qui die Pentecostis locum habuit» (Franciscus, Adhortatio Apostolica *Evangelii gaudium*, 284)

Servus Dei Emmanuel Nunes Formigão authenticus apostolus Mariae praesentis in medio populo, secundum hanc Papae Francisci magistralem cogitationem, evasit et, a Spiritus gratia ductus, totum se dedit evangelizationis operi.

Servus Dei Sellii in Lusitania die 1 mensis Ianuarii 1883, in christiana familia, natus est et die 18 eiusdem mensis baptismum accepit. Vocatione ad sacerdotium percepta, anno 1895 ingressus est Patriarchale Seminarium Scalabis, deinde Romam petit ad studia apud Pontificiam Universitatem Gregorianam perficienda ibique licentiam in Iure Canonico et in Theologia obtinuit. Presbyter ordinatus est die 4 mensis Aprilis anno 1908.

Post reditum Scalabim, nominatus est professor in Patriarchali Seminario et in lyceo s.d. *Sá da Bandeira*. Inter primas industrias eius, societatem *Nun'Alvares* fundavit, quae antecessit Actionem Catholicam in Lusitania, et, exardescente quadam contagione anno 1918, Servus Dei una cum Societatis iuvenibus famulatum infirmis familiisque, partiens medicamenta et alimenta, ac spiritualem curam omnibus praebuit.

Tempore apparitionum Virginis Mariae in Fatima, primo Servus Dei dubitabat; sed, post conventum cum pueris divinitus videntibus, totaliter opinionem suam mutavit; immo comitatus est pueros in difficultatibus et in institutione eorum. Anno 1922 Leiriensis episcopus nominavit eum membrum Canonicae Commissionis ad eventa Fatimae investiganda, quibus Servus Dei innumera scripta in commentariis et diurnis dedicavit.

Anno 1925 canonicus Patriarchalis Sedis Olisipponensis electus est. Ibi anno 1926 fundavit Congregationem Sororum Riparatricum Nostrae Domi-

nae a Doloribus Fatimae, reparationi et contemplationi consecratas; sed dolores laboresque non defuerunt praecipue definiens propriam Instituti intentionem, etiam sententiis cum Serva Dei Aloisia Andaluz discrepantibus. Et propter hoc anno 1934 Emmanuel se transtulit ad Bragantiam. Hic docens in Seminario evasit et, ab anno 1939 ad annum 1943, rector. His temporibus fecundum apostolatam in re sociali ac caritativa egit. Anno 1937 commentarium *Stella* fundavit et multa effecit colloquia de Fatima. Anno 1940 fundavit *O Mensageiro de Bragança*. In anno scholastico 1943-1944 cum Evorensi archiepiscopo in seminario dirigendo cooperavit.

Anno 1944 valetudinis causa iussus est Portum Calensem migrare, ibi ut capellanus Domus Immaculati Cordis Mariae ministerium egit, se reconciliationis sacramento se tradens et spirituali moderationi et in Instituto Reparationis eiusdem propagationi se dedens. Anno 1954 Portugallensem dioecesim reliquit ut Fatimam peteret.

Spiritualia lineamenta Servi Dei clare excellunt in sanctitatis prospectu. Is congruenter ostendit Boni Pastoris formam, qui non tantum gregem alit sed cum fidelibus iter doloris et spei utitur. In omnibus impiger, Emmanuel perseveranter et liberaliter ministerium perfecit. Vitam interiorem quotidie sustentabat ferventi spiritualitate eucharistica et devotione Virgini Mariae: ita poterat percipere aperte et tranquille rationem eventuum personalium, socialium et ecclesialium. In difficilioribus magnum animum praebuit: quietum eius obsequium Dei voluntati inconcussum erat et summa fides erga Evangelium.

Parva Iacinta, una videntium Fatimae, ante mortem suam munus diffundendi reparationem pro contumeliis in Cor Iesu illi detulit: hac causa tota vita operavit et hanc pietatem etiam Sororibus ab illo fundatis tradidit. Cor praedicationis eius mysterium crucis evasit, quae signum est maximi amoris Iesu in homines.

Prudens et audax examinans et diffundens nuntium mirabilium visum Fatimae. Maxime erga seminarii alumnos et pueros videntes paternam affectionem manifestavit. Graviter et fideliter, iucunditer et suaviter habitum heroicum patefecit. Gaudium presentiae Dei communicabat et, dives spei in divina Providentia, etiam et aliis has virtutes transfundebat. Sapienter discernens assidue vixit et gradatim precationi incubuit: sic adventum Dei in vita sua agnovit una cum singulari vocationi ad quam Deus eum adlicie-

bat. Nulla quaestio aut tormentum videbantur perturbare sedulitatem eius in sentiendo ac operando; a profunda interiori pace motus, omne eventum in luce fidei deiudicabat.

Fatimae die 30 mensis Ianuarii anno 1958, ob aneurysma quod infirmaverat eum duos per annos, mortuus est.

Sanctitatis fama, iam in vita, post mortem perrexit. Qua re a die 15 mensis Septembris anno 2001 ad diem 16 mensis Aprilis anno 2005 Inquisitio dioecesana apud Curiam ecclesiasticam Leiriensem-Fatimensem celebrata est, cuius iuridica validitas ab hac Congregatione de Causis Sanctorum per Decretum diei 28 mensis Octobris anno 2005 est approbata. Exarata *Positione*, consuetas secundum normas disceptatum est an Servus Dei heroum in modum virtutes excoluisset. Die 17 mensis Ianuarii anno 2017 Peculiaris Theologorum Consultorum Congressus habitus est positivo cum exitu. Patres Cardinales et Episcopi Ordinaria in Sessione diei 10 mensis Aprilis anno 2018 congregati, cui egomet ipse Angelus Cardinalis Amato interfui, Servum Dei heroico in gradu virtutes theologales, cardinales eisque adnexis exercuisse professi sunt.

Facta demum de hisce omnibus rebus Summo Pontifici Francisco per subscriptum Cardinalem Praefectum accurata relatione, Sanctitas Sua, vota Congregationis de Causis Sanctorum excipiens rataque habens, hodierno die declaravit: *Constare de virtutibus theologalibus Fide, Spe et Caritate tum in Deum tum in proximum, necnon de cardinalibus Prudentia, Iustitia, Temperantia et Fortitudine, iisque adnexis, in gradu heroico, Servi Dei Emmanuelis Nunes Formigão, Sacerdotis Dioecesanì, Fundatoris Congregationis Religiosarum Reparatricum Dominae Nostrae de Fatima, in casu et ad effectum de quo agitur.*

Hoc autem decretum publici iuris fieri et in acta Congregationis de Causis Sanctorum Summus Pontifex referri mandavit.

Datum Romae, die 14 mensis Aprilis a.D. 2018.

ANGELUS CARD. AMATO, S.D.B.
Praefectus

L. ☩ S.

☩ MARCELLUS BARTOLUCCI
Archiep. tit. Mevaniensis, a Secretis

MATRITENSIS

Beatificationis et Canonizationis Servae Dei Iustae Domínguez de Vidaurreta e Idoy, Societatis Filiarum a Caritate Sancti Vincentii a Paulo Antistitae Provincialis Hispaniae (1875-1958)

DECRETUM SUPER VIRTUTIBUS

«Operam oportet demus ut *misericordiae cultus* augeatur, qui adest cum alius alium convenit: ex hoc quippe cultu nemo neglegenter alium respicit neque oculos avetit, cum fratres dolentes videt» (Franciscus, Littera Apostolica *Misericordia et misera*, 20).

Serva Dei Iusta Domínguez de Vidaurreta e Idoy testis insignis huius culturae misericordiae evasit: numquam cor eius, ab extraordinario amore directum, compressum est doloribus fratrum et numquam oculos abstulit, semper in illis vultum Sponsi videns.

Serva Dei in loco v.d. *Azpeitia*, Ipuscoae in Hispanica provincia, die 2 mensis Novembris anno 1875 nata est. Tertia octo fratrum, baptismum accepit eodem die natali et confirmationem anno 1886. Instituta est in familia sua profunde christiana et alumna frequentavit religiosum collegium Tubaliae, Navarrensi in regione, ubi interdum familia transferta erat. Anno 1888 primum eucharisticae mensae appropinquavit. Infans et adolescens spiritualiter auxit: inter alia, Societati Filiarum Mariae et Conferentiis Sancti Vincentii a Paulo adhaesit, dum in animo suo propositum se sororem ad Deum dedere confirmabat.

Die 8 mensis Septembris anno 1900 vota emisit in Instituto Filiarum a Caritate. Vita eius exemplar fuit et inter sorores et erga illos qui eam cognoscebant. Praesertim anno 1905 cholera morbo exardente in quibusdam regionibus Matriti, liberalitatem vere heroicam praebuit infirmos adiuvando, inter quos et septem sorores morbo correptae periverunt. In sua communitate Serva Dei per sex et triginta annos cum gaudio et studio officium formativum egit, in primis vitae testimonium praebens virtutibus quas verbo proponebat: opus eius vere sanctitatis schola evasit. Ab anno 1932 plus quam viginti annorum Visitatrix fuit, quod est Superiorissa Hispanicae Provinciae, illo tempore maxima in mundo (8.300 sorores in 628 communitatibus).

In principio tertii decennii saeculi XX, Hispania excrucata est a laicis motu contra Ecclesiam accenso, qui indicium fuit tragediae civilis belli

(1936-1939): multae religiosae domus clausae sunt et immo dirutae et sorores amotae de socialibus mansionibus quas diligenter a decenniis egerunt. Etiam his in difficultatibus Serva Dei serenum animum servavit, plene fidens in Domini voluntatem, quod est habitus ab illa ulterius confirmatus cum, anno 1936, in quadam forma “domiciliarium vinculorum” a popularibus militibus detenta est. Soror Iusta manifestavit se promptam usque ad martyrium, res quae nullo modo insulsa erat in illis circumstantiis in Hiberica Peninsula: enim novem et viginti Filiae a Caritate necatae sunt civili bello. Serva Dei nisa est ad evangelizationem et solacium omnibus afferendum; sed quidem contumelias ac dedecora pati debuit. Postea Valentiam petivit, deinde Massiliam denique oppidum *Sangüesa*, quod positum est Navarrensi in regione, ubi perrexit valetudinariorum castrensiu[m] institutionem ad vulneratos curandos.

Civili bello confecto, redire Matritum potuit. Novo zelo se vovit ad sorores instituendas. Anno 1945 a Statu honorificentiam obtinuit ut signum agnitionis eius navi operis in subsidiis prolatis. Ultimo eius vitae tempore, magna fide et humilitate novum ordinem Instituti accepit.

Forte et amabile Servae Dei ingenium mirabiliter se coniunxit cum profunda spiritualitate et modum vivendi divem in amore et fascinantem genuit. Opus evangelizationis ac benevolentiae evidenter in clara fide fundamentum invenit, qua iam a pueritia in familia aluerat, facta est personalis concursus cum Christo, sustentata Dei Verbo, precatione et Eucharistiae participatione.

Soror Iusta evangelii nuntium tradebat omnibus in locis et circumstantiis, operam dans ut sorores vivum “charisma vincentianum” originis custodirent. Iter suum simplicitate ac puritate percurrit, quod eam fecit intentam materialibus spiritualibusque populi necessitatibus. Ab adolescentia particeps paroeciae actuositatis, Serva Dei auxit curas erga pauperes et segregatos, in quos semper maternam affectionem et actiones sollertis promotionis nutrit. Constanter apta ad veniam et reconciliationem et assidue in virtutibus exercendis, Soror Iusta ad spiritualis vitae maturitatem pervenit.

Die 18 mensis Decembris anno 1958 Matriti Serva Dei mortua est, a clara sanctitatis fama circumdata.

Propter quam, a die 12 mensis Novembris anno 1991 ad diem 2 mensis Decembris anno 1993 apud Curiam ecclesiasticam Matritensem Inquisitio dioecesana celebrata est, cuius iuridica validitas ab hac Congregatione de

Causis Sanctorum per Decretum diei 25 mensis Novembris anno 1994 est approbata. Exarata *Positione*, consuetas secundum normas disceptatum est an Serva Dei heroicum in modum virtutes excoluisset. Positivo cum exitu, die 6 mensis Iunii anno 2017 Peculiaris Consultorum Theologorum Congressus habitus est. Patres Cardinales et Episcopi Ordinaria in Sessione congregati, die 20 mensis Martii anno 2018, me Angelo Cardinale Amato praesidente, Servam Dei virtutes theologales, cardinales et adnexas heroicum in modum exercuisse agnoverunt.

Facta demum de hisce omnibus rebus Summo Pontifici Francisco per subscriptum Cardinalem Praefectum accurata relatione, Sanctitas Sua, vota Congregationis de Causis Sanctorum excipiens rataque habens, hodierno die declaravit: *Constare de virtutibus theologalibus Fide, Spe et Caritate tum in Deum tum in proximum, necnon de cardinalibus Prudentia, Iustitia, Temperantia et Fortitudine, iisque adnexis, in gradu heroico, Servae Dei Iustae Domínguez de Vidaurreta e Idoy, Societatis Filiarum a Caritate Sancti Vincentii a Paulo, Antistitae Provincialis Hispaniae, in casu et ad effectum de quo agitur.*

Hoc autem decretum publici iuris fieri et in acta Congregationis de Causis Sanctorum Summus Pontifex referri mandavit.

Datum Romae, die 14 mensis Aprilis a.D. 2018.

ANGELUS CARD. AMATO, S.D.B.
Praefectus

L. ☩ S.

☩ MARCELLUS BARTOLUCCI
Archiep. tit. Mevaniensis, *a Secretis*

BERGOMENSIS

**Beatificationis et Canonizationis Servi Dei Ludovici Longari, Sacerdotis professi
Congregationis Presbyterorum a Sanctissimo Sacramento (1889-1963)**

DECRETUM SUPER VIRTUTIBUS

«Et cum apparuerit Princeps pastorum, percipietis immarcescibilem gloriae coronam» (1 Pe 5, 4).

Gloria haec, quam Dominus per laeta verba Petri apostoli ad praesbyteros Ecclesiae advertit, caput Servi Dei Ludovici Longari, exempli sacerdotalis vitae et praeceptoris, circumdat.

Servus Dei die 20 mensis Iunii anno 1889 in loco v.d. *Montodine* apud Cremonam, extremus duodecim filiorum, natus est. Familia eius religiosam experientiam intense traducebat: inter caetera frater, avunculus et consobrinus parochi fuerunt et alius frater presbyter longe infirmus, dum nepos sacramentinus sacerdos evasit. Servus Dei adhuc puer vocationem percepit ad sacerdotium, qua re anno 1900 Cremense seminarium frequentavit. Quattuor post annos, adulescens matre orbatu est. Iter formativum ad finem perduxit, anno 1912 diaconatum et die 18 mensis Augusti eiusdem anni presbyteratum accepit.

Ludovicus ardentem amorem in Eucharistiam alebat et particeps esse Congregationis SS. Sacramenti deliberavit. In loco *Castelvechio di Moncalieri*, ubi domus formationis posita erat, novitiatum incepit; sequenti anno, primo mundano bello exardescente, ad militiam vocatus est. Post certum temporis spatium commorationis Laudae et apud Mediolanense valetudinarium s.d. *Niguarda*, anno 1917 una cum aliis sacerdotibus missus est in primam aciem in finibus Foroiuliensis regionis, ibique saepe translatus est varia in loca: ab *Alseno* ad *Martorano*, denique in parvum hospitale in burgo *Dossobuono di Villafranca*, a *Pergine* ad *Zané* et *Tiene*, usque ad locum Sanctum Petrum ultra fines. Munera eius pertinebant ad infirmorum vulneratorumque curam in fossa et in fronte aciei et ad tollenda sepeliendaque cadavera. Etiam coadiuvante sorore, per totum bellum pervenire fecit multis sacerdotibus hostias et vinum ad Eucharistiam celebrandam. Illis in adiunctis cognovit Servum Dei Vicum Necchi.

Bello composito, Ludovicus novitiatum perfecit in Hispanica civitate

Tolosa et docens evasit in collegio. Post reditum eius in Italiam, conduxit aestivam villam seminarii in loco *Vigarolo di Borghetto Lodigiano*, quo una cum alumnis seminarii Instituti translatus est, denique in definitivam sedem Ponteranae pervenit. Die 8 mensis Maii anno 1923 Ludovicus perpetuam emisit professionem. Anno 1928, rectoris seminarii munus retinens, magister novitiorum electus est et anno 1937 octavus Superior Generalis Congregationis.

Generalis officium eius vehemens fuit ac zelo ditissimum: inter caetera, viginti octo domus inauguratae sunt in quattuordecim nationibus et Romae seminarium internationale ad theologica studia fovenda. Anno 1949, expleto munere Superioris Generalis, ad oppidum Ponteranae rediit ibique novitiorum magistri officium resumpsit.

Actuositas Servi Dei praecipua fuit ad religiosam familiam augendam, sed suprema laudatio eius advenit a quibusdam claustralibus mulieribus: «Sufficiebat inspicere eum celebrantem, dies festum semper videbatur»; et denique: «Animum nostrum maxime percutiebat aspectus eius limpidus: oculi illius, qui hostiam sanctam longe contemplant, ut imbuti erant Eucharistia et communicabant illis qui ei appropinquabant eucharisticum fervorem et dulcedinem».

Servus Dei magnum tempus consumpsit ad sacerdotes, non tantum Instituti sui, formandos: vocatus est ab episcopis in varia seminaria et multa praedicavit spiritualia exercitia religiosis et claustralibus. Ab anno 1949 usque ad annum 1961 se tradidit praecipue ut spiritualis moderator plurimorum presbyterorum. Spiritualitas eius eminet magna simplicitate. Alacer et iucundus, Pater Ludovicus temperamentum aperuit serenum simul et tenax.

Dives in humanitate et christianis moribus, Servus Dei semper conscius fuit se in Altissimi praesentia vivere. Magna fuit fides eius, qui vitam fundavit in Verbo Domini, in ferventi orationis spiritu, in ardenti eucharistica celebratione et in filiali devotione erga Beatam Virginem. Amor Dei eum duxit ad plenam deditionem fratribus, praecipue solidaritate in pauperiores et liberalitate etiam in humiliora ministeria erga egeniores. Multa promovit opera pastoralia et missionaria, quae faverunt christiano animo in populo. Praedicans omnes hortabatur ad Dei et Iesu Christi amorem meditandum et vocabat eos ab hoc amore sinere vinci et in divina communionem degere vitam.

Anno 1961 valetudo Servi Dei infirmari incepit. Pater Ludovicus, qui iam ab anno 1960 facultatem obtinuerat quotidie celebrare Missam Immaculatae

Conceptionis, die 3 mensis Octobris certe et definite officium reliquit magistri novitiorum. Die 8 mensis Maii anno 1963 ad oppidum Ponteranicae rediit et die 17 mensis Iunii eiusdem anni e vita excessit.

Fama sanctitatis a die 7 mensis Novembris anno 1990 ad diem 5 mensis Octobris anno 1996 iuxta Curiam ecclesiasticam Bergomensem Inquisitio dioecesana celebrata est, dum Inquisitiones rogatoriales eveniebant Cremae, Sancti Pauli in Brasilia et Romae: quorum omnium iuridica validitas ab hac Congregatione de Causis Sanctorum per Decretum diei 7 mensis Aprilis anno 1998 est approbata. Exarata *Positione*, consuetas secundum normas disceptatum est an Servus Dei heroum in gradum virtutes excoluisset. Fausto cum exitu, die 22 mensis Maii anno 2017 Peculiaris Theologorum Consultorum Congressus habitus est. Patres Cardinales et Episcopi Ordinaria in Sessione diei 10 mensis Aprilis anno 2018, cui egomet ipse Angelus Cardinalis Amato praefui, Servum Dei heroicum in gradum virtutes theologales, cardinales et adnexas exercuisse agnoverunt.

Facta demum de hisce omnibus rebus Summo Pontifici Francisco per subscriptum Cardinalem Praefectum accurata relatione, Sanctitas Sua, vota Congregationis de Causis Sanctorum excipiens rataque habens, hodierno die declaravit: *Constare de virtutibus theologalibus Fide, Spe et Caritate tum in Deum tum in proximum, necnon de cardinalibus Prudentia, Iustitia, Temperantia et Fortitudine, iisque adnexis, in gradu heroico, Servi Dei Ludovici Longari, Sacerdotis professi Congregationis Presbyterorum a Sanctissimo Sacramento, in casu et ad effectum de quo agitur.*

Hoc autem decretum publici iuris fieri et in acta Congregationis de Causis Sanctorum Summus Pontifex referri mandavit.

Datum Romae, die 14 mensis Aprilis a.D. 2018.

ANGELUS CARD. AMATO, S.D.B.
Praefectus

L. ☩ S.

☩ MARCELLUS BARTOLUCCI
Archiep. tit. Mevaniensis, *a Secretis*

OTTAVIENSIS

**Beatificationis et Canonizationis Servae Dei Elisabethae Bruyère, Fundatricis
Congregationis Sororum a Caritate Ottaviensis (1818-1876)**

DECRETUM SUPER VIRTUTIBUS

«In illo tempore respondens Iesus dixit: “Confiteor tibi, Pater, Domine caeli et terrae, quia abscondisti haec a sapientibus et prudentibus et revelasti ea parvulis” » (*Mt* 11, 25).

Mysterium Cordis Christi, occultum huius mundi sapientibus et apertum humilibus, cor fuit vitae ac spiritualis peregrinationis Servae Dei Elisabethae Bruyère.

Serva Dei nata est die 19 mensis Martii anno 1818 Marianopoli, Canadensi in ditione. Mortuus est pater eius cum illa tantum sex annorum esset. Ea totam pueritiam suam Marianopoli gessit, ubi mater eius tamquam ancilla operabat. Duos minores fratres curavit Elisabetha, dum scholam sub Congregatione Sororum Dominae Nostrae frequentabat. Duodecim annos agens, vixit in civitate v. *Saint Éspirit*, Quebecenses inter fines, et quaedam matris suae consobrina ut mater et magistra evasit ei. Illis annis Serva Dei vocationem percepit ad vitam in pauperibus servitio offerre. Inde anno 1839 ingressa est in Congregationem Monialium Ravarum Marianopolis et anno 1841 prima emisit vota.

Mox electa est Superiorissa et Fundatrix institutionum in civitate v. *Bytown*, hodie Ottavia, quo adiit mense Februario anno 1845 una cum quinque aliis sororibus. In eius adventu multi Angli immigrantes et Hiberni et Scoti in civitatem *Bytown* perveniebant, qui cum Gallis-Canadiensibus loci multitudinem constituerunt. Populus omnium rerum indigebat et Mater Bruyère et Sorores eius sponte humaniterque operam dabant.

Post menses tantum tres ab adventu, Serva Dei scholam fundavit et hospitium pro senibus, orphanotrophium et pro derelictis infantibus domum. Devastante praesertim typhi pestilentia Mater Elisabetha et Sorores extraordinariam erga infirmos solidaritatem praebuerunt: sic misericordia, quae virtus est in corde, facta et actio est. Repente valetudinarium paraverunt, ubi graviores aegroti curari possent. Decem septem e viginti duabus Sororibus morbo correptae sunt, sed nulla mortua est illis adiunctis.

Post haec calamitosa eventa, ad parvulos melius erudiendos Serva Dei ab Instituto suo discessit et Congregationem Sororum a Caritate Ottaviensis constituit.

Anno 1850 domum aedificaverunt ad orphanos, senes et infirmos excipiendos in unum. Mater Bruyère ad pauperum necessitates respondit et in aliis regionibus Canadae et Civitatum Confederatarum Americae Septentrionalis, ubi opus erat instituere scholas et alia orphanotrophia, nosocomia et domus ad senes adjuvandos.

Triginta et ultra per annos Serva Dei testimonium perhibuit cohaerens et credibile amoris propensi ac misericordis Patris, cui totam commiserat vitam. In exitu itinerarii sui humani dicere potuit magna cum conscientia: «Omnia Deus benedixit, quoniam omnia acta sunt secundum sanctam voluntatem Eius».

Serva Dei est magna inter fundatrices saeculi XIX in Ecclesia Canadensi. Ficta solita in agendum, realiter quotidie egit evangelica cum perseverantia. Mulier autem erat tenera et misericors, propensa semper ad indigentes, quaerens meliora pro bono sociali, morali ac spirituali nationis. Haec vitae electiones fundatae erant in fide et precis animo. Certo ab hac spiritali fonte vigorem traxit ut vitam gereret in divina communione fraternaque caritate. Donum fuit vita eius nulla sub condicione.

Etiam spiritalibus filiabus Mater Elisabetha hanc vivendi disciplinam tradidit, una cum paupertatis, humilitatis, essentialitatis ac benevolentiae personali exemplo.

Cor eius laboravit hypertrophia quae eam duxit ad mortale exitum. Serva Dei mortua est die 5 mensis Aprilis anno 1876. Extrema verba fuerunt: «Dilectus Iesus meus!», quod est certum totius vitae eius compendium. Exsequiae et multae affectus ac existimationis declarationes evidenter patefecerunt Servam Dei notam et dilectam ab omnibus esse.

Fama sanctitatis eius a die 16 ad diem 24 mensis Iunii anno 1989 iuxta Curiam ecclesiasticam Ottaviensem Inquisitio dioecesana celebrata est, cuius iuridica validitas ab hac Congregatione per Decretum diei 12 mensis Martii anno 1993 est approbata. Exarata *Positione*, die 15 mensis Maii anno 2001 locum habuit Sessio Historicorum Consultorum. Deinde secundum consuetas normas disceptatum est an Serva Dei heroum in gradum virtutes excoluisset. Positivo cum exitu die 4 mensis Ianuarii anno 2018 Peculiaris Consultorum Theologorum Congressus habitus est. Patres Cardinales et Episcopi Ordi-

naria in Sessione diei 10 mensis Aprilis anno 2018, cui egomet Angelus Cardinalis Amato praefui, Servam Dei virtutes theologales, cardinales eisque adnexas heroicum in modum exercuisse professi sunt.

Facta demum de hisce omnibus rebus Summo Pontifici Francisco per subscriptum Cardinalem Praefectum accurata relatione, Sanctitas Sua, vota Congregationis de Causis Sanctorum excipiens rataque habens, hodierno die declaravit: *Constare de virtutibus theologalibus Fide, Spe et Caritate tum in Deum tum in proximum, necnon de cardinalibus Prudentia, Iustitia, Temperantia et Fortitudine, iisque adnexis, in gradu heroico, Servae Dei Elisabethae Bruyère, Fundatricis Congregationis Sororum a Caritate Ottaviensis, in casu et ad effectum de quo agitur.*

Hoc autem decretum publici iuris fieri et in acta Congregationis de Causis Sanctorum Summus Pontifex referri mandavit.

Datum Romae, die 14 mensis Aprilis a.D. 2018.

ANGELUS CARD. AMATO, S.D.B.
Praefectus

L. ☩ S.

☩ MARCELLUS BARTOLUCCI
Archiep. tit. Mevaniensis, *a Secretis*

PANORMITANA

Beatificationis et Canonizationis Servae Dei Mariae a Virgine Perdolente (in saeculo: Mariae Di Majo), Fundatricis Congregationis Ancillarum Missionariarum a Christo Rege (1888-1967)

DECRETUM SUPER VIRTUTIBUS

«Humilis vigil Iesu in sacramento altaris absconditi».

Hoc fuit propositum, quod Servae Dei Mariae a Virgine Perdolente (in saeculo: Mariae Di Majo) sanctam devotionem in corde totam per vitam inflammavit. Iter totius eius existentiae fuit perennis vultus Sponsi inquisito, cui summa largitate se omnino offerret.

Serva Dei Panormi die 16 mensis Decembris anno 1888 nata est. Sexta natu decem filiorum, die 23 mensis Decembris, una cum gemina sorore Vincentiuncula, sacro fonte lustrata est. Eius familia simplex erat et operi omnino sedula. Iam ab infantia ecclesia eius vici facta est terminus pergratus Servae Dei ut cotidie ad Iesum in sacramento altaris absconditum Virginemque Perdolentem accedere posset.

Iam a prima iuventute adhaesit consociationi dictae Filiarum Mariae et cuiusdam iuvenis uxoriariam condicionem reiecit. Enim cum ad primam communionem accedebat iam vocationis ad religiosam vitam prima percepit signa. Cum spiritualia exercitia agebat suam universam vitam Deo vovere statuit.

Anno autem 1915 suum propositum de vocatione potuit perficere, et spiritualis moderatoris consilio Romam profecta est ut ingrederetur inter Sorores Oblatas a Sacro Corde. Vestem induit et religiosum Sororis Mariae a Virgine Perdolente nomen sumpsit, in illa autem Congregatione plus quam quindecim annorum mansit. Diligentissime operam dedit in puellis ei traditis instituendis, umquam praetermittens orationem vel occursum cum Iesu, qui eius cordi loquebatur mystica ei offerens nonnulla experientia.

Multos per annos suo in corde percepit Iesu incitamentum ut fundaret novam religiosam familiam, sed cum timeret ne ille malignus deciperet eam, operam a Domino commissam amplius differebat. Cum autem anno 1929 morbo coacta Oblatarum Congregationem relinquere debuit, Superiorissae Fundatricis Beatae Mariae Teresiae Casini permissione, quae hortata est ut illo in tempore valide meditaretur de foundationis proposito. Anno 1929 domum rediit et congregavit quasdam iuvenes puellas ut exorarent

pro Ecclesiae unitate et reditu ad eandem omnium qui de ea secessissent. Anno igitur 1930 a Panormitano Archiepiscopo petivit facultatem fundandi novum Institutum. Permissione obtenta, statim communem incepit exigere vitam. Sic Institutum Ancillarum Missionariarum a Christo Rege ortum est. Die 26 mensis Octobris anno 1930, in Christi Regis sollemnitate. Mater Maria a Virgine Perdolente una cum suis primis sodalibus religiosam induit vestem. Haec Mater Maria noluit fundare Academiam scientiarum religiosarum vel sedem pro oecumenicis rebus expediendis sed potius voluit familiam animarum orantium ac ad missionem dispositarum constituere ut Christi regnum super terram diffunderent et Ecclesiae unitati foverent et “ut omnes unum sint” (Io 17, 21).

Serva Dei etiam inter multas angustias et inter graviores difficultates operam suam amplius porrigebat Deo gloriam offerens, hac re multae sociae huic operae se aggregaverunt. Mater sorores in studiis constituere voluit ut ludum, status legibus obtemperans indigentibus pro circumstantibus pueris fundaret, interea novae aperiebantur domus ad infirmis iuxta nonnulla valetudinaria assidendum.

Vehementissimum Servae Dei iter spirituale sua voluntaria evangelicae perfectionis inquisitione necnon promptitudine in vitam suam disponendam Domini voluntati parendo omnino eminuit.

Profunda et constans fuit eius fides, sincera eius spes, sine dubitatione eius amor erga Deum et erga proximum, cuius in vultu ipsius Christi amandi et serviendi faciem animadvertibat. Dei semper vixit in praesentia suamque deditionem ad Dominum oratione, participatione ad Eucharistiam, diuturna et ardentissima adoratione necnon mariana devotione alebat. Constans spiritus commentationis et patientiae eam pervadebat etiam in angustiis sicut in quibusdam contentionibus cum clericis quidem Panormitanis quoad Institutum, qui sororibus Sanctissimum negaverunt. Eius fides in Deum ostendebatur in summa commendatione sui illi voci hortanti ut inveniret vias magis consentaneas ad propositum efficiendum. Istis spiritualibus adiunctis etiam virtutum exercitium amplius adhibebatur, sic refulgentes in Serva Dei invenimus animi aequitatem, prudentiam sua in peregrinatione, iustitiam et veritatem necnon vigorem, lenitatem, humilitatem et patientiam. Castitas, paupertas et oboedientia suam sinceram adhaesionem religiosam ad vocationem coronaverunt.

Interea Mater Maria a Virgine Perdolente dolore ac morbo infirmari incepit. Ob paresim brachium et pes sinister correpti sunt. Suae vitae novissima

tempora virium defectione ita dominabantur, etiam ob novas contentiones et difficultates, ut olim propositum esset Congregationem ad aliam aggregandi.

Serva Dei Panormi prima luce diei 27 mensis Iunii anno 1967 mortali e vita excessit.

Fama sanctitatis a die 23 mensis Ianuarii anno 1987 ad diem 15 mensis Octobris anno 1995 iuxta Curiam ecclesiasticam Panormitanam Inquisitio dioecesana celebrata est, cuius iuridica validitas ab hac Congregatione de Causis Sanctorum per Decretum diei 5 mensis Martii anno 1999 est approbata. Exarata *Positione*, consuetas secundum normas disceptatum est an Serva Dei heroum in gradum virtutes excoluisset. Fausto cum exitu, die 28 mensis Martii anno 2017 Peculiaris Theologorum Consultorum Congressus habitus est. Patres Cardinales et Episcopi Ordinaria in Sessione diei 20 mensis Martii anno 2018, cui egomet ipse Angelus Cardinalis Amato praefui, Servam Dei heroicum in gradum virtutes theologales, cardinales et adnexas exercuisse agnoverunt.

Facta demum de hisce omnibus rebus Summo Pontifici Francisco per subscriptum Cardinalem Praefectum accurata relatione, Sanctitas Sua, vota Congregationis de Causis Sanctorum excipiens rataque habens, hodierno die declaravit: *Constare de virtutibus theologalibus fide, spe et caritate tum in Deum tum in proximum, necnon de cardinalibus prudentia, iustitia, temperantia et fortitudine, iisque adnexis, in gradu heroico, Servae Dei Mariae a Virgine Perdolente (in saeculo: Mariae Di Majo), Fundatricis Congregationis Ancillarum Missionariarum a Christo Rege, in casu et ad effectum de quo agitur.*

Hoc autem decretum publici iuris fieri et in acta Congregationis de Causis Sanctorum Summus Pontifex referri mandavit.

Datum Romae, die 14 mensis Aprilis a.D. 2018.

ANGELUS CARD. AMATO, S.D.B.
Praefectus

L. ☩ S.

☩ MARCELLUS BARTOLUCCI
Archiep. tit. Mevaniensis, a Secretis

ERNAKULAMENSIS – ANGAMALIENSIS

Beatificationis et Canonizationis Servi Dei Varghese Payapilly, Sacerdotis Dioecessani, Fundatoris Congregationis Sororum Derelictorum (1876-1929)

DECRETUM SUPER VIRTUTIBUS

«Misericordia non solum est actio Patris, sed discernendi principium fit ad intellegendum qui eius veri sint filii» (cfr Franciscus, *Misericordiae vultus*, 9).

Ille amor misericors, qui aliorum dolorem comprehendit et excipit, consentaneus fuit toti vitae Servi Dei Varghese Payapilly. Is enim funditus deditus fuit amori erga Dominum, cuius vestigia secutus erat et credibilis factus est testis.

Servus Dei die 8 mensis Augusti anno 1876 in pago v.d. *Konthuruthy*, nunc intra fines Archidioecesis Ernakulamensis-Angamaliensis Syro-Malabarensium in Kerala, India, natus est. Quartus quinque filiorum, octo post die sacrum ad fontem baptismalem ductus est. Eius parentes ferventes erant christifideles eique prima rudimenta fidei et humanitatis tradiderunt communicaveruntque ei bonitatem, virtutem et pietatem, ipsi veluti primi sinceræ adhaesionis fidei testimonium reddentes. Iam a pueritia Servus Dei excoluit devotionem erga Sanctissimum Sacramentum, Beatam Virginem Mariam et sanctum Ioseph. Expletis primariis ac humanis studiis, Varghese, cum interea signa vocationis ad sacerdotium percepisset, Seminarium in oppido *Puthenpally* ingressus est et deinde Pontificium Seminarium Kandense in *Srilanka* frequentavit. Expleto cursu studiorum sacro ordine die 21 mensis Decembris anno 1907 auctus est.

Patriam in suam rediit et institutionem tam philologicam quam culturalem illo in loco perfecit ministeriumque pastorale variis in paroeciis Vicariatus Ernakulamensis exercuit. Pastorale munus ob precariam salutem reliquit atque nominatus est praeses Lycaeï Sanctae Mariae in municipio *Aluva*; illic operam suam contulit Instituto necnon humanae et christianae institutioni multorum alumnorum eorumque familiarum, promovens etiam vocationes ad sacerdotium et ad consecratam vitam. Interea fructuose multis muneribus functus est, sicut Archiepiscopi consultor, director Patrimonii ad sacerdotum socialem providentiam provehendam necnon Unionis Apostolicae Cleri.

Anno 1924 cum municipium *Aluva* graviter inundaretur, una cum aliis proximis locis, Servus Dei omnibus viribus suis et opibus operam dedit derelictis curandis, auxilium ac solacium ferens egenis, suam quoque vitam periclitans. Propter hoc caritatis et necessitudinis propositum, fundum comparavit ad edificandam domum pro senibus et infirmis.

Servus Dei praeter has crebrissimas caritatis actiones, capellanus erat in quibusdam coenobiis et moderator spiritualis multorum religiosorum. Anno 1927 fundavit mulierum religiosum institutum, scilicet Congregationem *Parvarum Sororum Pauperum*, quae postea dicta est *Sororum Derelictorum*.

Servus Dei animo humanissimo et omnino prompto ad Domini voluntatem assequendam sed eodem tempore, in cotidianis quaestionibus et in rebus vitae valde intento eminebat. Custodiebat et servabat profundissimam vitam spiritualem. In silentio oranti divino Verbo se alebat et cum sedulitate et humilitate Dei gloriam et animarum salutem sibi concreditarum in animo habebat. Vir profundae fidei se tradidit operibus caritatis pro egentioribus. Omnes excipiens, uniuscuiusque necessitatibus prospiciendo, absoluta fuit eius promptitudo erga alios et generosa cum aliis agendi ratio. Lenitas et vigor, tranquillitas cordis et spiritus promptitudo se coniungebant cum vitae regimine pauperi ac austero.

Singularem adhibuit curam erga personas derelictas, senes et aegrotos atque heroicam caritatem exercuit super traditionalem societatis divisionem, agens non solum in angustiis sed etiam in vitae periculo. Operando cognovit nonnullas condiciones summae paupertatis, quae ab eo simplici vitae modo ac magna fide in Providentia gerebantur. Spei heroicae ac constantis orationis ope diffusum *reticulum misericordiae* valuit constituere.

Sua in vita Caritatis et Crucis clare eminet spiritualitas uti amoris missio, ministerii ac misericordiae. Dolor enim numquam exstinguebat resonare in corde patris Varghese. Servus Dei generositate munus apostolicum gessit maxime quoad instituendi officium, moderamen spirituale et sacramentum reconciliationis; propter suam simplicitatem evangelicam et generositatem multi ad eum appropinquabant etiam catholicam fidem haud profitentes, quibus tamen sine discrimine consilia et spiritualia materialiaque auxilia largitus est.

Anno 1929 Servus Dei feбри typhi correptus est, quae eum ad obitum cito perduxit. Iuxta valetudinarium Ernakulamense *General Hospital* in India die 5 mensis Octobris anno 1929 mortuus est. Sequenti die exequiis eius

magna multitudo sacerdotum, religiosorum fideliumque adfuit, quod signum fuit sanctitatis diffusae famae.

Qua fama considerata, a die 6 mensis Septembris anno 2009 ad diem 12 mensis Novembris 2012 prope Curiam ecclesiasticam Ernakulamensem-Angamaliensem Inquisitio dioecesana celebrata est, cuius iuridica validitas ab hac Congregatione de Causis Sanctorum per Decretum diei 10 mensis Ianuarii anno 2014 est approbata. Exarata *Positione*, Historicorum Congressus die 17 mensis Maii anno 2016 habitus est. Deinde consuetas secundum normas disceptatum est an Servus Dei heroum in gradum virtutes excoluisset. Fausto cum exitu, die 24 mensis Octobris anno 2017 Peculiaris Theologorum Consultorum Congressus habitus est. Patres Cardinales et Episcopi Ordinaria in Sessione congregati, cui egomet ipse Angelus Cardinalis Amato praefui, Servum Dei heroicum in gradum virtutes theologales, cardinales et adnexas exercuisse professi sunt.

Facta demum de hisce omnibus rebus Summo Pontifici Francisco per subscriptum Cardinalem Praefectum accurata relatione, Sanctitas Sua, vota Congregationis de Causis Sanctorum excipiens rataque habens, hodierno die declaravit: *Constare de virtutibus theologalibus Fide, Spe et Caritate tum in Deum tum in proximum, necnon de cardinalibus Prudentia, Iustitia, Temperantia et Fortitudine, iisque adnexis, in gradu heroico, Servi Dei Varghese Payapilly, Sacerdotis Dioecesani, Fundatoris Congregationis Sororum Derelictorum, in casu et ad effectum de quo agitur.*

Hoc autem decretum publici iuris fieri et in acta Congregationis de Causis Sanctorum Summus Pontifex referri mandavit.

Datum Romae, die 14 mensis Aprilis a.D. 2018.

ANGELUS CARD. AMATO, S.D.B.
Praefectus

L. ☩ S.

☩ MARCELLUS BARTOLUCCI
Archiep. tit. Mevaniensis, *a Secretis*

VARSAVIENSIS

Beatificationis et Canonizationis Servi Dei Augusti Iosephi Hlond, e Societate S. Francisci Salesii, S.R.E. Cardinalis Archiepiscopi Gnesnensis et Varsaviensis ac Fundatoris Societatis Christi pro Emigrantibus Polonis (1881-1948)

DECRETUM SUPER VIRTUTIBUS

«Nam cum liber essem ex omnibus, omnium me servum feci, ut plures lucri facerem. [...] Omnia autem facio propter evangelium, ut comparticeps eius efficiar» (1 Cor 9, 19.23).

Apostolicus fervor, evangelizationis sancti Pauli proprius, efficaciter adumbrat spiritualia lineamenta Servi Dei Augusti Hlond, qui, sincerus filius sancti Ioannis Bosco, ut episcopalem titulum “*Da mihi animas coetera tolle*” sibi delegit et idem confirmavit vita eius consecrati ac episcopi, impigrae pastoralis caritatis testimonium praebens. In historia Ecclesiae Polonae, cardinalis Augustus Hlond religiosa fidelitate eminet, una cum excellentia, varietate et singularitate ministerii pastoralis et corporis atque animi doloribus quos intrepido christiano animo pro regno Domini passus est.

Servus Dei in loco v.d. *Brzęczkowice* in regione Alta Silesia intra fines Poloniae, illo tempore in territorio archidioecesis Vratislaviensis, die 5 mensis Iulii anno 1881 natus est; quinque diebus post ortum suum baptismum recepit. A puero profundam fidem aluit, una cum assidua praecatione. Duodecim annos agens, allectus a fama Ioannis Bosco, secutus est in Italiam fratrem Ignatium ad consecrationem faciendam in Societate Salesiana, et brevi tempore alios duos fratres eo attraxit. Admissus ad novitiatum, talarem vestem a Beato Michaële Rua anno 1896 accepit. Religiosam professionem emisit anno 1897. Superiores miserunt eum Romam ut philosophiam studeret et lauream consequeretur apud Pontificiam Universitatem Gregorianam. Ab Urbe reversus est Poloniam, ubi tirocinium in collegio Osvecinii exercitavit. Theologicis disciplinis patratis, die 23 mensis Septembris anno 1905 presbyter ordinatus est. Annis 1905-09 facultatem litterarum apud universitates Cracoviae et Leopoldis frequentavit. Anno 1907 praepositus est moderationi novae domus civitatis Premislae, unde ad regimen domus Vindobonae transivit. Ibi virtus et ingenium eius invenerunt ampliorem ambitum, etiam propter praecipuas difficultates in quibus institutum imperialis capituli agitabatur.

Augustus, virtute prudentiaque sua, brevi potuit non tantum reficere oeconomicam condicionem, sed etiam iuvenilibus operibus favere ita ut omnes e quocumque coetu mirarentur eum. Ob eius sollicitationem erga pauperes, operarios, populi filios, humillimae personae eum amabant. Nec sine causa gratus acceptusque et episcopis et nuntiis apostolicis erat, simili modo existimatus ab auctoritatibus et etiam imperiali familia. Signa huius socialis et educatorii operis fuerunt ter mirae honorificentiae ei tributae. Anno 1919 superiores nominaverunt Servum Dei curatorem Inspectoriae Germanicae Hungaricaeque, ei committentes curam confratrum Austriae, Germaniae et Hungariae. Post fere tantummodo tres annos, iuvenis curator inspector paene decem novas domus salesianas aperuit et alumnos ad authenticum spiritum sancti Ioannis Bosco formavit, suscitans etiam plurimas vocationes.

Summam industriam ponebat, cum anno 1922 Sancta Sedes constitueret religiose Silesiam Polonam ad hoc tempus vulneratam propter politicas et nationales dimicationes et Summus Pontifex Pius XI concedit ei fastidiosissimam missionem, nominans eum Administratorem Apostolicum. Servus Dei tribus annis ita composuit quaestiones magno cum gaudio et Polonorum et Germanorum, ut Sancta Sedes instituere novam dioecesim Katovicensem posset. Die 3 mensis Ianuarii anno 1926 episcopus ordinatus est.

Magnum fuit gaudium totius dioecesis, quoniam ille paucis annis administrationis suae visitaverat omnes paroecias, aperuerat seminarium, foverat vocationes, constituerat Actionem Catholicam et omnia paraverat ad ecclesiam cathedralem aedificandam simul et episcopium, dignius seminarium, curiam et alias aedes idoneas.

Quotannis Congressus Catholicos convocavit, Societatem Catholicam et Societatem Adversus-alcool instituit et hebdomadale editum Polonice Germaniceque s.d. *Gość Niedzielny*, quod est *Dominicalis Hospes*, fundavit.

Sacro Cordi Iesu Christifideles suae Apostolicae Administrationis commisit.

Primus evasit pastor in Polonia, et forsitan in mundo, qui constituit "Iuventutis Festum" et Beatae Mariae Nigrae a Czestochoviae Silesianos iuvenes credidit. Antiquissimam imaginem marianam, per saecula veneratam in loco *Piekary* in Alta Silesia, coronavit.

Die 24 mensis Iunii anno 1926 Summus Pontifex eum promovit ad archiepiscopales sedes Gnesnensem et Posnaniensem et eum nominavit Poloniae Primatem. Sequenti anno creavit eum cardinalem sub titulo Sanctae

Mariae a Pace. Ministerium episcopale eius nobilitatur a magno pastoralis opere cum consiliis socialibus et culturalibus. Uno et viginti annis cardinalatus Servus Dei, praeter ordinarium pastorale ministerium in duabus archidioecesibus, egit ut Primas in omnibus nationis vicissitudinibus, cum tempora difficillima erant. Anno 1936 primam Synodum Polonorum episcoporum praesedit. Vitam Ecclesiae renovavit, parans plurimos Congressus Eucharisticos in variis locis, intra et extra fines nationis, nec non illos Christo Regi dicatos. Denuo constituit et promovit Actionem Catholicam in sua natione. Firmiter et praevidenter pugnabat adversus eos, qui Iudaeos vexabant. Patriae amans et vir humanitatis plenus erga dolores populi sui, a Sancta Sede officium obtinuit curandi etiam Polonos in diaspora, variis in partibus orbis terrarum dispersos. Propter hoc anno 1932 Congregationem *Societas Christi pro Emigrantibus Polonis* fundavit.

Quod valde dolendum est, secundum mundanum bellum hoc providum ministerium perturbavit. Immo, Polonia invasa a Germanis Sovieticisque militibus, cardinalis, impavidus ac gravis defensor iurium humanae personae et Patriae et Ecclesiae libertatis, primus inter vexatos a nazismo et comunismo evasit. Incepit tunc exilium, quod ei calvarium fuit, usque ad belli finem. Rei Publicae Administratio poposcit eum ut peteret Romam ad Sanctam Sedem certiolem faciendam de vera et acerba rerum condicione Poloniae, quae autem difficillima erat missio. Die 21 mensis Septembris anno 1939 Servus Dei amabiliter receptus est a Pio XII, cui aperte ostendit tragicas res politicas, id est “finis Poloniae” per operam duorum tyrannorum, Hitler et Stalin. Summus Pontifex bis petivit ab administratione Berolinensi ut concederet cardinali reditus in Patriam occupatam: responsum negativum habuit, quia cardinalis Hlond “persona non grata” regimini erat. Quam ob rem insignis exul commoratus est Romae, deinde confugit Lapurdum. Hic validiorem effecit resistentiam et subsidia pro exulibus et, maxime, clarius manifestavit atrocitates erga populum patratas ab illis qui in fines irruerant. Fuit inter primos qui mundum certiolem fecerunt de Hebraeorum holocausto Polonorum et aliorum regionum a regimine nazista parato.

Servus Dei silens et precans aures anxii vicissitudinibus caedium in Europa praebebat, cum infausto die publici ministri s.d. *Gestapo* in Lutetiam Parisiorum eum relegaverunt ut cogere ipsum ad constituendam Polonorum Administrationem obnoxiam nazistis. Cardinalis, Patriae amore fervens, certa sententia recusavit. Tunc nazistae primum in Lotharingiam

deinde in Vestfaliam deportaverunt eum. Postremo exercitus foederati, subitaneo progressu, eum in libertatem asserere potuerunt. Dominus Hlond Lutetiam Parisiorum attigit, deinde Romam, maxime benigne receptus. Post colloquium cum Summo Pontifice, in Poloniam reditus est et archiepiscopus Varsaviensis nominatus.

Misere etiam in Polonia prompte liberationis gaudium turbatum est impetibus extremistarum sectarum et Sovietica opera, exercita per novam communistarum Administrationem a Moscua impositam. Quod attulit etiam Concordatus rescissionem. Cardinalis tamen, fortis in fide et vehemens in Patriae caritate, uti defenderat populum suum ab horroribus nazismi ita etiam vehementibus litteris pastoralibus perrexit defendere illum ab atheismo bolscevic, omnibus viribus operam dans oppressis tutelam, ad sociales quaestiones solvendas et ad pauperes corroborandos et adiuvandos.

Inconcussa eius fides in Domini potestatem erga mundum aperta est praesertim in actu fiduciae Poloniae Immaculato Cordi Mariae Sanctissimae, qui locum habuit die 8 mensis Septembris anno 1946 in sanctuario *Jasna Góra* coram episcopato et decies centenis miliabus fidelium. Sancta Sedes ei commisit etiam mandatum rursus religiose constituendi Germanicam regionem cessam Poloniae pro territoriis inclusis a Sovietica Foederatione. Cardinalis Hlond magna virtute praeditus fuit, luminosum exemplar salesiani sacerdotis et pastor magnanimus, austerus, dives in propheticis consiliis. Ecclesiae sincere oboediens et firmiter in auctoritate gerenda, heroicam humilitatem manifestavit et haud ambiguum perseverantiam in difficillimis temporibus. Paupertatem coluit et iustitiam egit erga pauperes et indigentes.

Duo fuerunt fundamenta eius spiritualis vitae: id est, duce sancto Ioanne Bosco, Eucharistia e Maria Auxilium Christianorum. Divina Providentia tutata est eum a diversis sceleribus, ei donando transitum magnorum patriarcharum. Die 22 mensis Octobris anno 1948 mortuus est, brevem post infirmitatem, pronuncians in mortis lecto haec extrema verba: «Pro Christo et Polonia laboravi et denuo hoc faciam... Multa passus sum pro Iesu et gloriam eius quaesivi; cum gaudio e vita abeo». Exsequiae plausu magnisque clamoribus actae sunt. Successor eius, Venerabilis cardinalis Stephanus Wyszyński, ab illo indicatus Pio XII, descripsit eum Pastorem “cum oculis ad tempora futura apertis”.

Servus Dei tam in vita quam post mortem fama sanctitatis circumfusus est, qua re a die 9 mensis Ianuarii anno 1992 ad diem 21 mensis Octobris

anno 1996 iuxta Curiam ecclesiasticam Varsaviensem Inquisitio dioecesis celebrata est, cuius iuridica validitas ab hac Congregatione de Causis Sanctorum per Decretum diei 6 mensis Martii 1998 agnita est. Exarata *Positione*, disceptatum est consuetas secundum normas an Servus Dei virtutes heroum in modum exercuisset. Positivo cum exitu, die 9 mensis Martii anno 2017 Peculiaris Theologorum Congressus habitus est. Die 15 mensis Maii anno 2018 Patres Cardinales et Episcopi Ordinaria in Sessione congregati, me Angelo Cardinale Amato praesidente, agnoverunt Servum Dei virtutes theologales, cardinales et adnexas heroico in gradu exercuisse.

Facta demum de hisce omnibus rebus Summo Pontifici Francisco per subscriptum Cardinalem Praefectum accurata relatione, Sanctitas Sua, vota Congregationis de Causis Sanctorum excipiens rataque habens, hodierno die declaravit: *Constare de virtutibus theologalibus Fide, Spe et Caritate tum in Deum tum in proximum, necnon de cardinalibus Prudentia, Iustitia, Temperantia et Fortitudine, usque adnexis, in gradu heroico, Servi Dei Augusti Iosephi Hlond, e Societate S. Francisci Salesii, S.R.E. Cardinalis, Archiepiscopi Gnesnensis et Varsaviensis ac Fundatoris Societatis Christi pro Emigrantibus Polonis, in casu et ad effectum de quo agitur.*

Hoc autem decretum publici iuris fieri et in acta Congregationis de Causis Sanctorum Summus Pontifex referri mandavit.

Datum Romae, die 19 mensis Maii a.D. 2018.

ANGELUS CARD. AMATO, S.D.B.
Praefectus

L. ☩ S.

☩ MARCELLUS BARTOLUCCI
Archiep. tit. Mevaniensis, *a Secretis*

TREVIRENSIS

Beatificationis et Canonizationis Servi Dei Vilelmi Eberschweiler, Sacerdotis professi Societatis Iesu (1837-1921)

DECRETUM SUPER VIRTUTIBUS

«Qui autem fecerit et docuerit [mandata ista], hic magnus vocabitur in regno caelorum» (*Mt* 5, 19).

Sapientia, prudentia, zelus ac fervor maxime eminuerunt in vita Servi Dei Vilelmi Eberschweiler, cuius iter spirituale explicatum est inter personalem inquisitionem sanctitatis et constantem dialogum ad bene instituendum aptum cum fratribus.

Servus Dei in pago v.d. *Püttlingen* iuxta Treviros in Germania die 5 mensis Decembris anno 1837 natus et sequenti die sacro fonte lustratus est. Eius in familia religiosissima ac pastoraliter nava institutus est secundum christiana principia. Apud pagum *Waxweiler* et deinde apud *Bitburg*, ubi eius familia se transtulerat tres annos post eius ortum, Vilelmus sua in institutione perseveravit, paroecialem quoque scholam frequentando. Experientia cotidiani ministerii pueri inservientis altari magni momenti fuit sua in institutione. Anno 1850 ad eucharisticam mensam primitus accessit.

In adulescentia clara in eo evenit vocatio ad sacerdotalem religiosamque vitam, quae iam in pueritia se patefacta erat, eo ut post examina maturitatis Monasterii noviciatum in Societate Iesu ingrederetur. Eius valetudo incommoda praecipue ob hemicraniam facta est, quam ob rem votorum professio ter dilata est. Anno 1861 ea denique emittere valuit. Deinde studia perrexit rethorica, philosophica ac theologica et die 13 mensis Septembris anno 1868 sacro ordine auctus est. Postea dum Patrum Ecclesiae ad studium Aquisgrani attenderet, studentium Marianas Congregationes curavit et evenit magister noviciorum. Sollemnia vota die 2 mensis Februarii anno 1872 edidit.

Illo tempore, politica Germanicae rei publicae, quae sub nomine *Kulturkampf* cognoscebatur, vere fuit inimica Ecclesiae, hac re Servus Dei Hollandiam se traduxit. Illic munere rectoris studentium rethoricae castris *Wynandsrade* prope Limburgum functus est et spiritualis moderatoris communitatis, quod munus et in Collegio *Ditton-Hall* in Britannia explevit. Inter alias aerumnas illis in annis sustinere debuit mentis morbum duorum

religiosorum, quorum unus fuit eius frater Franciscus, et ipse Societatis Iesu sodalis. Novae etiam sedis mutationes secutae sunt eius in vita, in qua exercuit etiam officium praedicatoris spiritualium exercitiorum et oratoris.

Doloris cognitio toti eius vitae consentanea fuit, quam ipse amore ac generosa mansuetudine semper sustinuit in Dei voluntate. Pater Vilelmus fidei fuit vir et pius in Deum iam a pueritia. Cum vocationem ad sacerdotium et ad vitam consecratam intellexisset, inquisitio Domini vultus necnon exercitium humanarum ac christianarum virtutum ei fuit fere naturalis habitus. Vivere Dei in perenni praesentia ei fuit non tantum mentis propositum sed vitalis experientia. Pater Vilelmus Dei voluntatem perficere semper conatus est et in ea magno corde exoptavit universum mundum amplecti. Hoc omne ardenti spiritali e vita generatum ac fultum erat: Dei primatus, asservatus in omnibus rebus et in oratione exquisitus, fervens vita eucharistica, filialis pietas erga Virginem Mariam, absoluta adhaesio doctrinae ab Ecclesia concredita necnon summa fiducia eius in Pastores.

Servo Dei dolores, adversitates et obtrectationes non defuerunt, sed haec omnia ipse aggressus est viam christianae caritatis eligendo. Eius animi praesentia erga alios consentanea erat suo modo agendi sentiendique et inveniebatur omni eius in verbo, cum audiebat, cum verbum ad animum confirmandum vel consolandum profitebatur, vel cum de aliqua re monebat vel viam indicabat vel denique cum firmam impertiebatur doctrinam tam in liturgica praedicatione quam in catechesi et in sermonibus fundatam. Animi pueritia in eo servavit semper illum stuporem ac illam ingenii sollertiam rebus novis atque miris a gratia dispositis, quae quidem saepissime eum spiritalibus donis ditaverunt. Servus Dei se praebuit virum sincere sanctitatem quaerentem.

Decembri mense anno 1921 graviter aegrotavit et dum Eucharistiam celebrabat vehementissimo tremore necnon vomitionibus correptus est, adeo nunquam se recepit et die 23 mensis Decembris anno 1921 in pago *Exalten* mortali e vita exivit. Eius corpus primum in coemeterium domus loci conditum, deinde Treviros translatum est.

Fama sanctitatis perdurante, a die 30 mensis Novembris anno 1951 ad diem 26 mensis Martii anno 1958 apud Curiam ecclesiasticam Trevirensensem Processus Ordinarius Informativus celebratus est, cui a die 11 mensis Octobris anno 1999 ad diem 3 mensis Iulii anno 2001 Inquisitio suppletiva accessit, eorum omnium iuridica validitas ab hac Congregatione de Causis

Sanctorum per decretum diei 26 mensis Ianuarii anno 2006 est approbata. Exarata *Positione*, consuetas secundum normas disceptatum est an Servus Dei heroicum in modum virtutes excoluisset. Fausto cum exitu, die 20 mensis Octobris anno 2016 Peculiaris Theologorum Consultorum Congressus habitus est. Patres Cardinales et Episcopi Ordinaria in Sessione die 24 mensis Aprilis anno 2018 congregati, cui egomet ipse Angelus Cardinalis Amato praefui, Servum Dei heroicum in modum virtutes theologales, cardinales et adnexas exercuisse professi sunt.

Facta demum de hisce omnibus rebus Summo Pontifici Francisco per subscriptum Cardinalem Praefectum accurata relatione, Sanctitas Sua, vota Congregationis de Causis Sanctorum excipiens rataque habens, hodierno die declaravit: *Constare de virtutibus theologalibus Fide, Spe et Caritate tum in Deum tum in proximum, necnon de cardinalibus Prudentia, Iustitia, Temperantia et Fortitudine, iisque adnexis, in gradu heroico, Servi Dei Villelmi Eberschweiler, Sacerdotis professi Societatis Iesu, in casu et ad effectum de quo agitur.*

Hoc autem decretum publici iuris fieri et in acta Congregationis de Causis Sanctorum Summus Pontifex referri mandavit.

Datum Romae, die 19 mensis Maii a.D. 2018.

ANGELUS CARD. AMATO, S.D.B.
Praefectus

L. ☩ S.

☩ MARCELLUS BARTOLUCCI
Archiep. tit. Mevaniensis, *a Secretis*

CLAVARENSIS

Beatificationis et Canonizationis Servi Dei Henrici Mauri, Sacerdotis Dioecesani Fundatoris Oblatarum a Christo Rege (1883-1967)

DECRETUM SUPER VIRTUTIBUS

«Et civitatem sanctam Ierusalem novam vidi descendentem de caelo a Deo, paratam sicut sponsam ornatam viro suo» (*Ap* 21, 2).

Apocalypsis visio bene compendiat Servi Dei Henrici Mauri missionem, qui fuit sacerdos flagrantissimus desiderio fideles sibi commissos confirmandi in occurso Domini, secundum spiritalem necessitudinem imagini Christi sponsi Ecclesiae innisam.

Servus Dei Boxisii Parini intra fines Mediolanensis archidioecesis die 26 mensis Octobris anno 1883 natus est. Iam a pueritia sacerdotalem vocationem percepit, quamobrem seminarium dioecesanum ingressus est. Die 13 mensis Iunii anno 1908 sacerdotali ordine per manus Beati Cardinalis Andreae Caroli Ferrari, Mediolanensis archiepiscopi, auctus est. Paulo post munus suscepit secretarii Aloisii Marelli nuper electi episcopi Bobiensis. Hac in dioecesi praeter officium secretarii episcopi valuit suum pastorale studium exercere sustinens iuvenes ac saepissime se interponens, suis scriptis in dioecesis ephemeride editis, illius temporis controversiis de humanae societatis ordinum convictu atque obsistens incursibus doctrinae socialistae necnon furentium Ecclesiae inimicorum.

Illo tempore adhibuit etiam singularem curam de feminei sexus necessitatibus, quarum et postea constanter ostendit sollicitudinem, multas operas apostolatus pro mulieribus suscipiens. Bobii inchoavit opus novissimum, cui nomen “Mulierum Societas Mutui Auxilii” editum ad auxilium suppeditandum mulieribus, quae in difficultatibus nummariis essent. Tamen in Servi Dei sacerdotali corde flagrantius erat studium directionis vocationalis iuvenum mulierum et iam coepit animo concipere novum quoddam genus consecrationis, quo testimonium in mundo perhiberetur; sic initium cepit parvus coetus mulierum, quae dicebantur “Virgines Bobienses”.

Cum episcopus Marelli ad dioecesim Bergomensem fuit translatus, Servus Dei brevi tempore eum secutus est, deinde Mediolanum rediit. Illic Congregationem Oblatorum Sanctorum Ambrosii et Caroli ingressus, peculiarem promissionem perpetuae oblationis die 7 mensis Novembris anno 1918 emisit.

Primo bello mundano flagrante, Servus Dei se tradidit assidue ad Eucharistiae adorationem et ad sacramentum reconciliationis ministrandum, necnon ad spiritalem curam iuvenum mulierum, quae magis et magis frequentes ad eum conveniebant, eius fide, verbis et caritate allectae. Bello autem composito, cum innumerae essent mulieres maritis orbatae, Consociationem Matrum ac Viduarum Militum Peritorum fundavit, quae cito totam per Italiam se diffudit.

Servus Dei una cum Venerabili Serva Dei Armida Barelli fundamenta posuit Consociationis Iuvenum Mulierum Actionis Catholicae, cuius munus suscepit assessoris nationalis, et gravibus cum incommodis totam peragravit Italiam, congressus promovens innumerosque sermones habens, ut diffunderetur Consociatio, cuius quippe cofundator habitus est.

Anno 1921 Servus Dei coepit aedificare domum ad matres et viduas militum qui in bello ceciderant recipiendas, quae temporibus refectionis corporis et spiritus indigerent. Gravibus laboribus et Providentia auxiliante emit domum Segestae Tigulliorum in Liguria, quae dein facta est cunabula operis v.d. *Madonnina del Grappa*. Quod nomen memorabat montem *Grappa* iuxta Vicetiam, ubi acerrimum proelium primo mundano bello grassante actum erat et iam Pontifex Pius X parvum simulacrum Virginis erigi iusserat.

Servus Dei operam suam assidue impendit pro pueris assidendo, cuius fuerunt pignus officinae conditae ad pueros parentibus orbatos artibus instituendos. Aliquot post annos inter parvulos parentibus belli causa orbatos et ab eo receptos nonnullae sacerdotales vocationes ortae sunt. Sic principium habuit *Vivarium Apostolicum* ad servandos et dirigendos iuvenes ad sacerdotium vocatos atque adumbrari cepit etiam propositum constituendi familiam spiritalem ex sacerdotibus, laicis, viduis necnon nubilibus mulieribus coniugibusque constitutam, cui nomina dedit Oblatorum ac Oblatarum Christi Regis.

Ratio operis v.d. *Madonnina del Grappa* gradatim immutavit in apostolicam actuositatem ad institutionem et spiritualitatem pertinentem; sic ergo ortum est opus v.d. *Centro di Apostolato ascetico* ad fovendam conscientiam omnes fideles ad sanctitatem esse vocatos. Servus Dei constans studium adhibuit, secundum scripta Sancti Francisci Salesii, varios vitae status promovendi, in quibus cuique vocatio ad sanctitatem pascenda est. Super quo ascetico principio necnon super gratia propria sacramenti matrimonii suam catechesim ad sponsos fundavit, quae praecipua ac constans nota evasit eius

apostolicae navitatis, iam longe prius quam Epistula Encyclica *Casti Con-nubii* promulgata est. Huius coniugalis spiritualitatis partem habuit etiam catechesis ad viduas, quae ad felicem exitum pervenit per constitutionem coetus dicti *Spes ac Vita*.

Servus Dei mortalem vitam deseruit die 10 mensis Maii anno 1967.

Fama sanctitatis Servi Dei perdurante, ab episcopo Clavarensi Causa Beatificationis et Canonizationis illata est. Processus Informativus Dioecesanus apud Curiam Clavarensis a die 30 mensis Novembris anno 1996 ad diem 25 mensis Novembris anno 2001 celebratus est, cuius iuridica validitas ab hac Congregatione de Causis Sanctorum per decretum diei 6 mensis Decembris anno 2002 est approbata. Exarata *Positione*, consuetas secundum normas disceptatum est an Servus Dei virtutes heroum ad modum exercuisset. Die 13 mensis Iunii anno 2017, fausto cum exitu, Peculiaris Consultorum Theologorum Congressus habitus est. Patres Cardinales et Episcopi Ordinaria Sessione die 24 mensis Aprilis anno 2018 congregati, cui egomet ipse Angelus Cardinalis Amato praefui, heroico in gradu virtutes theologales, cardinales et adnexas exercuisse professi sunt.

Facta demum de hisce omnibus rebus Summo Pontifici Francisco per subscriptum Cardinalem Praefectum accurata relatione, Sanctitas Sua, vota Congregationis de Causis Sanctorum excipiens rataque habens, hodierno die declaravit: *Constare de virtutibus theologalibus Fide, Spe et Caritate tum in Deum tum in proximum, necnon de cardinalibus Prudentia, Iustitia, Temperantia et Fortitudine, iisque adnexis, in gradu heroico, Servi Dei Henrici Mauri, Sacerdotis Dioecesani et Fundatoris Oblatarum a Christo Rege, in casu et ad effectum de quo agitur.*

Hoc autem decretum publici iuris fieri et in acta Congregationis de Causis Sanctorum Summus Pontifex referri mandavit.

Datum Romae, die 19 mensis Maii a.D. 2018.

ANGELUS CARD. AMATO, S.D.B.
Praefectus

L. ☩ S.

☩ MARCELLUS BARTOLUCCI
Archiep. tit. Mevaniensis, a Secretis

CONGREGATIO PRO EPISCOPIS

PROVISIO ECCLESIARUM

Latis decretis a Congregatione pro Episcopis, Sanctissimus Dominus Franciscus Pp., per Apostolicas sub plumbo Litteras, iis quae sequuntur Ecclesiis sacros praefecit Praesules:

die 6 Iulii 2019. — Cathedrali Ecclesiae Iasensi, R.D. Iosephum Păuleț e clero eiusdem dioecesis, hactenus in civitate v.d. «Suceava» Curionem atque Decanum «Bucovinae».

— Cathedrali Ecclesiae Tarvisinae, R.D. Michaëlem Tomasi, e clero dioecesis Bauzanensis-Brixinensis, ibique hactenus Seminarii Dioecesanii Rectorem et Vicarium Episcopalem.

die 10 Iulii. — Cathedrali Ecclesiae Cristalandiensi, noviter erectae, Exc.mum P.D. Wellington de Queiroz Vieira, hactenus Episcopum Praelatum eiusdem sedis.

— Cathedrali Ecclesiae Caruaruensi Exc.mum P.D. Iosephum Rudericum Gonçalves Lopes, O.F.M.Cap., hactenus Episcopum Iequieanum.

— Cathedrali Ecclesiae Catanduveni Exc.mum P.D. Valdir Mamede, hactenus Episcopum titularem Naissitanum et Auxiliarem archidioecesis Brasiliapolitanae.

die 12 Iulii. — Metropolitanae Ecclesiae Veszprimiensi Exc.mum P.D. Georgium Udvardy, hactenus Episcopum Quinque Ecclesiensem.

— Cathedrali Ecclesiae Vaciensi R.D. Zsolt Marton, hactenus Rectorem Seminarii Centralis in urbe Budapestinensi.

die 16 Iulii. — Titulari Episcopali Ecclesiae Tagaratensi, R.D. Midyphil B. Billones, e clero archidioecesis Iarenensis, hactenus Seminarii regionalis Sancti Ioseph Rectorem, quem deputavit Auxiliarem archidioecesis Cebuanae.

die 16 Iulii 2019. — Cathedrali Ecclesiae Clonfertensi R.D. Michaëlem Duignan, e clero dioecesis Elphinensis, ibique hactenus Secretarium dioecesanum et Cancellarium episcopalem.

die 17 Iulii. — Cathedrali Ecclesiae Iguassuensi Exc.mum P.D. Sergium a Deo Borges, hactenus Episcopum titularem Gergitanum et Auxiliarem archidioecesis Sancti Pauli in Brasilia.

— Cathedrali Ecclesiae Bonfimensi R.P. Hernaldum Pinto Farias, Congregationis Sanctissimi Sacramenti sodalem.

— Titulari Episcopali Ecclesiae Gisipensi R.D. Victorinum Iosephum Pereira Soares, e clero dioecesis Portugallensis, ibique hactenus paroeciarum v.d. «Castelões de Cepeda» et «Madalena» Curionem, quem deputavit Auxiliarem eiusdem dioecesis.

die 18 Iulii. — Cathedrali Ecclesiae Desmoinensi R.D. Vilelmum M. Joensem, e clero archidioecesis Dubuquensis, hactenus ibique in instituto v.d. «Loras College» philosophiae Professore et de vita spirituali Decanum.

die 19 Iulii. — Episcopum Coadiutorem Ecclesiae Anatyuanensis R.D. Iosephum Aloisium Corral, e Societate Verbi Divini.

— Cathedrali Ecclesiae Maracayensi, Exc.mum P.D. Henricum Iosephum Parravano Marino, S.D.B., hactenus Episcopum titularem Insulensem et Auxiliarem archidioecesis Caracensis.

die 23 Iulii. — Cathedrali Ecclesiae Sandhurstensi R.D. Ioannem Mackinlay, e clero Dioecesis Ballaratensis, ibique Curionem in civitate v.d. «Bungaree» et Magistrum Collegii Theologiae Catholicae in civitate v.d. «Melbourne».

— Cathedrali Ecclesiae Vhelingensi-Caropolitanae Exc.mum P.D. Marcum Eduardum Brennan, hactenus Episcopum titularem Rusubisiritanum et Auxiliarem archidioecesis Baltimorensis.

die 24 Iulii. — Titulari Episcopali Ecclesiae Arenensi R.D. Georgium Pierozan, e clero archidioecesis Sancti Pauli in Brasilia, ibique hactenus Vicarium Episcopalem et paroeciae *a Sacro Corde Iesu* Curionem, quem deputavit Episcopum Auxiliarem eiusdem archidioecesis.

die 24 Iulii 2019. — Titulari Episcopali Ecclesiae Aquaenovensi in Numidia R.D. Leonem Wagener, e clero archidioecesis Luxemburgensis ibique Vicarium Generalem, quem constituit Auxiliarem eiusdem archidioecesis.

die 1 Augusti. — Cathedrali Ecclesiae Varasdinensi R.D. Natalem Radoš, e clero metropolitanae Sedis Diacovens-Osijekensis, hactenus Rectorem Pontificii Collegii Croati Sancti Hieronymi in Urbe.

DIARIUM ROMANAE CURIAE

SEGRETERIA DI STATO

NOMINE

Con Breve Apostolico il Santo Padre Francesco ha nominato:

- 22 luglio 2019 S.E.R. Mons. Giorgio Lingua, Arcivescovo tit. di Tuscania, finora Nunzio Apostolico in Cuba, *Nunzio Apostolico in Croazia*.

Con Biglietti della Segreteria di Stato il Santo Padre Francesco ha nominato o confermato:

- 9 luglio 2019 Gli Ecc.mi: Mons. Marcello Semeraro, Vescovo di Albano, e Mons. Bawai Soro, Vescovo di Mar Addai di Toronto dei Caldei; i Rev.di: P. Luigi Sabbarese, C.S., Docente presso la Pontificia Università Urbaniana; P. Thomas Sunny, S.I., Docente presso il Pontificio Istituto Orientale; la Rev.da Suor Ionela Cristescu, Docente presso il Pontificio Istituto Orientale; gli Ill.mi: Prof. Giacomo Bertolini, Docente presso la Pontificia Università Urbaniana; Prof. Federico Marti, Docente presso la Pontificia Università della Santa Croce; Prof. Péter Szabó, Docente presso l'Università Cattolica a Budapest; e Prof.ssa Astrid Kaptijn, Docente presso l'Università di Friburgo, *Consultori della Congregazione per le Chiese Orientali «ad quinquennium»*.
Gli Ecc.mi Mons.ri: Christo Proykov, Hanna G. Alwan, Giorgio Demetrio Gallaro, Manuel Nin Güell; i Rev.di Mons.ri: Guido Marini, Natale Loda, Paul Pallath; il Rev.do Sac. Pablo Maria Gefaell Chamochin; i Rev.di Padri: Massimo Pampaloni, S.I., Philippe Luisier, S.I., Michael J. Kuchera, S.I., Georges-Henri Ruysen, S.I., D. Thomas Pott, O.S.B., Tedros Abraha, O.F.M.Cap., Cesare Giraud, S.I., e Rinaldo Iacopino, S.M, *Consultori nella medesima Congregazione per le Chiese Orientali «in aliud quinquennium»*.
- 16 » » Gli Ill.mi Dott.ri: Sergio Centofanti e Alessandro Gisotti, *Vice-Direttori della Direzione Editoriale del Dicastero per la Comunicazione a far data dal 22 luglio 2019*.
- 23 » » L'Ill.ma Dott.ssa Cristiane Murray, *Vice Direttore della Sala Stampa della Santa Sede*.

-
- 26 luglio 2019 Il Rev.do Mons. Alberto Perlasca, finora in servizio presso la Sezione per gli Affari Generali della Segreteria di Stato, *Promotore di Giustizia Sostituto presso il Supremo Tribunale della Segnatura Apostolica*.
- » » » Gli Em.mi Sig.ri Card.li: Baltazar Enrique Porras Cardozo, Amministratore Apostolico «*sede vacante et ad nutum Sanctae Sedis*» di Caracas, Arcivescovo di Mérida (Venezuela); Pedro Ricardo Barreto Jimeno, Arcivescovo di Huancayo (Perù), Vice Presidente della Rete Ecclesiale Panamazzonica (REPAM); Joao Braz de Aviz, Prefetto della Congregazione per gli Istituti di vita consacrata e le Società di vita apostolica, in vista dell'Assemblea Speciale che si terrà in Vaticano dal 6 al 27 ottobre 2019, sul tema «*Amazzonia: nuovi cammini per la Chiesa e per una ecologia integrale*», *Presidenti Delegati del Sinodo dei Vescovi per la Regione Panamazzonica*.

NECROLOGIO

6	luglio	2019	Mons. Lucio Soravito De Franceschi, Vescovo em. di Adria-Rovigo (<i>Italia</i>).
7	»	»	Mons. Salvatore Angerami, Vescovo tit. di Torri della Concordia, Ausiliare di Napoli (<i>Italia</i>).
11	»	»	Mons. Robert F. Christian, O.P., Vescovo tit. di Giru Marcelli, Ausiliare di San Francisco (<i>Stati Uniti d'America</i>).
13	»	»	S. Em.za il Sig. Card. Paolo Sardi, Diacono di Santa Maria Ausiliatrice in via Tuscolana.
14	»	»	Mons. Paul Albert Zipfel, Vescovo em. di Bismarck (<i>Stati Uniti d'America</i>).
19	»	»	Mons. John Adel Elya, B.S., Vescovo em. di Newton dei Greco-Melkiti (<i>Stati Uniti d'America</i>).
21	»	»	S. Em.za il Sig. Card. José Manuel Estepa Llaurens, del Titolo di San Gabriele Arcangelo all'Acqua Traversa, Arcivescovo Ordinario Militare em. per la Spagna.
»	»	»	Mons. Adel Zaki Stefanos, O.F.M., Vescovo tit. di Flumenzer, Vicario Ap. di Alessandria d'Egitto (<i>Egitto</i>).
22	»	»	Mons. Juan Rodolfo Laise, O.F.M. Cap., Vescovo em. di San Luis (<i>Argentina</i>),
26	»	»	S. Em.za il Sig. Card. Jaime Lucas Ortega y Alamino, del Titolo dei Ss. Aquila e Priscilla, Arcivescovo em. di San Cristóbal de La Habana (<i>Cuba</i>).
1	agosto	»	Mons. Jesus B. Tuquib, Arcivescovo em. di Cagayan de Oro (<i>Filippine</i>).
2	»	»	Mons. Stuart France O'Connel, S.M., Vescovo em. di Rarotonga (<i>Isole Cook</i>).